

3.  
QUÆSTIONVM, PRÆ-  
CIPVE POLITICARVM, EX AGRI-  
colâ C. Cornely Taciti collectarum

FASCICULUS I.

Quem

IN ILLUSTRI ARGENTINENSIMUM  
ACADEMIA

FRANCISCUS LISTIUS  
L.B. in Kettsee, Prellenkirchen &  
Kabold, &c.

MODERANTE

M. MATHIA BERNEG-  
GERO, HISTORIARUM IN EADEM  
Professore ordinario,

Disquisitioni & Examini subiicit  
Mense Martio.

A. A. A. A.

¶ (:) ¶

ARGENTORATI,  
Typis JOHANNIS CAROLI,  
M. D. C. XVI.

**ILLVSTRI AC G-  
NEROSO DOMINO, DOMINO  
STEPHANO LISTIO, LIBERO BARONI IN  
Kettlee, Prellenkirchen, & Kabold, Domino in Somlio & Janosha-  
za, &c. Sacræ Cæsareæ Regiæq; Majestatis Tabulæ supremæ ju-  
diciariæ per Augustissimum Hungariae regnum Assessori &  
Consiliario, &c. Domino Parenti suo unicè &  
æternum Colendo,**

I N

*Jugis filialis obsequij, & pia devotaq;  
reverentiae tenor.*

Ut &  
Debitum gratissimi animi

*Pro largâ  
ac liberali educatione  
arrhabonem,*

Disputationem hanc Politicam.

E X

*Agricola C. Cornelij Taciti collectam,  
humilimè*

D. D. D.

Franciscus Listius L. B. R.



III.

**E** ST homo montivagis similis per singula bratis,  
Qui non Gorgoneis labra rigavit aquis.  
Dicitur ut cæcum cæco namq; impete brutum:  
Nec quicquam curæ, nec rationis habet.  
Sic homo, qui vigil studio non excusat artes;  
Brutescens, dubias itq; reditq; vias.  
Quiq; suam mentem supramortalia non vult  
Tollere; vix hominis nomine dignus erit.  
Sed tibi mens alia, LIS TI, dum pectora Musis  
Excolis; hancq; poli ad sidera tollis humo.  
Macte hoc illustri conatu, illustria tenta;  
Artibus ac generi clarus addè decus!  
Sic te sponte sequax honor: & sic fama manebit:  
Lucida dum volvet lucidus astra polus.  
Et cœn flammigero Phæbas temone coruscans,  
Exuperat radijs astra minorasuis;  
Sic tu dotibus ingenij, virtutibus, arte,  
Præcelles claros, dulcis amice, viros.

*Amoris causa adject.*

Andreas Kochtitzky  
Jun: Lib. Baro.

V.

**N** AE tibi, qui clari sequeris vestigia Patris,  
Talia qui fructus cuncta rependat, erit.  
Ille quidem semper constanti pectore motus,  
Fortiter afferuit dogmata vera DEI.  
Vnde suos placidâ cives sub pace gubernans,  
Præbuit innumeris commoda magna modis.  
In queis cum referas animosum, Heroa, parentem,  
Charior hand dubiè sic potes esse DEO.

G

Ergo

Ergo velut vivo Res publica patre virescit,  
Sic te salvo, illam commoda mille manent.

In submissa observantia, bonisq; omnis  
signum adscriptum

Johannes Michaël Beütherus, J.U.D.  
& Cod. Professor Argent.in  
Academ. ordinarius.

V I.


**E**T meanunc, LISTI, reliquorum jungier, à me  
Vot a petis, votis opus haud, ea debeo, sume.  
Floruit ut, vigeat: viguit sed ut hec tua virtus,  
Sic crescat, Patria, & sis spes praelata Parenti,  
Omnibus atq; tuis, sis gloria. quid precer ultrà?

Laurentius Schütter in Klingenberg & Windthaag.

F I N I S.



D 4 3 P V. F. 18 & Tit.



PRO O E M I V M.

**P**raeclarè monet in Catone majore Plutarchus, excellētiōrem Prudentiā Politicā virtutem nullam ab homine possideri. Si enim publicum universorum commodum, privatā singulorum utilitati merito proponimus; quidni virtutem illam, que populi salutem, unicum sibi scopum supremamq; legem proponit, cuius nutu maria, terra, pax, bellare reguntur, anteferremus alij, que vel in privatā cuiusq; vitā moderanda solent acquiescere: vel ad pauciores usūs sui pomaria proferre? Porro ut sunt, ex sententiā Solonis, sī bona rāta, difficultia quæ pulchra, virtutem hanc, rerum dominam, & moderatricem gentium, non nisi labore magno, cultu diuturno, sudore multo parari constat: & verò paranda modus duplex habetur: unus quidem experientiā & usu proprio, qui efficacissimus rerum omnium magister est, iudicio Plini lib. 26. c. 2. & magistrorum omnium præcepta superat, ut inquit i. de Orat. Cicero. Aristoteles certè lib. 10. Eth. sub finem confirmat, quisquis rerum Civiliūignarus haberet, experientiam ei necessariam esse. Veramenim verò quia non nisi

— seris venit usus ab annis,  
ut inquit Ovidius lib. 6. Matamorph. adhuc non cuivis adesse, interesse, praefesse licet ipsarum rerum eventibus: insuper etiam ex propriis facta periculis prudentia misera est, (qua verba Plinij sunt in panegyr. cap. 60. ) multoq; satius est, aliorum eventis doceri, ut loquitur Tacit. lib. 4. annal. v. 33. ideoq; haud paullò satius & expeditius existimat, alteram paranda prudentiā viam inire, qua Historia est, illa, teste Polybio lib. 1. verissima disciplina exercitatioq; ad res Civiles. In ea namq; licet tamquam in vita humana theatro sedentem, periculis alienis sine suo

A peri-

D. 15. L. V. T.  
periculo sapientē fieri, quōdq; in operis sui vestibulo monet Livius,  
omnis exempli documenta in illustri posita monumento in-  
tueri, unde nobis nostrāq; Reip. quod imitemur, capiamus:  
unde fædum inceptu, fædum exitu, quod vitemus: adeoq; ex  
anteactis, quod proprium sapientis officium est, futura scienter  
in omnes partes prospiciamus.

Porrò quod generatim de Historiā dicitur, esse verum  
prudentia fontem, vitāq; magistrā, eam laudem vel in primis  
C. Cornelij Taciti, cui vulgo Publī prænomē falso tribuitur, Hi-  
storia sibi vendicat. Nam, ut à viro in omniliiterario regno, sum-  
mo, & cùm aliorum classorum autorum restauratore, tum  
principiè Taciti hospitatore (quod elogium pro nomine esse potest)  
verba mutuemur, quis narrando magis docet? in moribus  
quid est, quod non tangat? in affectibus, quod non revelet?  
Mirabilis omnino scriptor, & qui serio hoc ipsum agit, quod  
non agit. Nec enim historia solum est, sed velut hortus &  
seminarium præceptorum. Ut ii, qui veste acupingunt, in-  
geniosè gemmas inserunt, sínè confusione aut noxā forma-  
rum: sic iste passim sententias, serie narrationis nihil omissā  
aut lassā. Et alibi: Genus sermonis minimè sordidum aut  
vulgare: distinctum crebris, & nescio unde ex abdito erutis  
sententijs, quas vel veritate, vel brevitate, vicem oraculi pos-  
sis accipere. Et rursum alibi: Non est in Græcis, aut Latinis,  
& fiderint dicam, non erit, qui prudentiæ omnigenæ laude  
TACITO se comparet: adeo non veremur, ne quis antepo-  
nat. Singulæ paginæ, quid paginæ? singulæ lineæ dogmata,  
consilia, monita sunt.

Ceterum ut in historicis Latinis Tacitus, sic in ipsis Taciti  
operi libellus is, quo saceris sui Iulij Agricola vitam posteritati com-  
mendavit, eminere videtur; ut mole exiguis, sic prudentiæ ma-  
ximus: ideam optimi ducis, militis, politici proponeus. Ex hoc er-  
go libello, historicis in scholis non ita pridem explicato, visum est  
opera pretium, aphorismos quosdam, exēp̄ta politica, & prece-  
pta publicè privatimq; salubria prabentes, colligere, & sub placi-

de vñtrio incudem revocare, tum ut, que cognovimus, in succum  
convertebimus, siquidem ex sententiâ Plini lib. 8. epist. 14. diffi-  
cile est tenere quod didiceris, nisi exerceas: tum etiam, ut hæc  
sententiarum collatione ac disputationis conflictu, vel nostrā in  
sententiâ confirmaremur, vel moniti meliora sequeremur. Benè  
enim, ut omnia, Aristoteles lib. polit. 3. cap. 7. & 11. Ut omnino dñe  
convivia collatilia & symbolaria, meliora sunt, quam una atq;  
simplex mensa, sive, ut lepide Martialis lib. 5. epig. 80. appellat, tri-  
ste domicenium: sic judicia multorum in unum collata præstant  
anuscujusq; sententia.

## VERBA TACITI EX CAPITE I.

Clarorum virorum facta morēsq; posteris  
tradere antiquitus usitatum, ne nostris quidem  
temporibus quamquā INCURIOSA SUO-  
RUM ÆTAS omisit, quotiens magna aliqua  
ac nobilis virtus vicit ac supergressa est ignoran-  
tiam recti, & invidiam. Hinc desumitur

### QUÆSTIO I.

Qui fiat, quod magnorum ætatis nostræ virorum, non  
quanta veterum, estimatio ac fama sit?

I.

**A**riminius Cheruscorum princeps, Romanorum terror, li-  
bertatis Germanicæ vindex acerrimus, quod non eam  
quam merebatur, quāmq; postea fuit adeptus, nominis  
celebritatem vivus obtinuit, à prudentiæ magistro Tac-  
ito lib. 2. annal. cap. 88. culpa confertur in illud commu-  
nicipibus parvis magnisq; vitium, quo vetera extollere, recentium in-  
carcerari, consuevimus.

2. Hanc eandem sortis humanæ malignitatem fuit expertus Mat-

A 2 thias

*DISPUT.*

thias Corvinus, Hungariæ Rex, seculo suo Regum decus illustrissimum, cuius præsentem virtutem neglexisse atq; adeò odisse quosdam, sublatam ex oculis, anxiè quæsivisse ac desiderâsse subditos, pluribus Antonius Bonfinius rerum Ungar. decad. 4. lib. 8, sub finem demonstrat.

3. Verum enim verò cùm non sit effæta ac sterilis rerum natura, nec omnia apud priores meliora, sed unaquaq; etas multa laudis & artium imitanda posteris tulerit: ( Tacitus lib. 3. annal. cap. 55.) retulerit omni ex parte, quem modò dixi, Rex Matthias Achillem ( placet enim alijs omissis in nostratum exemplis subsistere ) Emericus, Comes Sepusiensis Ulyssem Palamedem: ejusq; frater Stephanus Agamemnonem: Paulus Chinis Ajacem: Cyupor Nicolaus Diomedem: Nestorem Michaël Palatinus: Magyar Blasius Herculem expresserit, omnes Regi Mathiae οὐχ ξενοι: attestante Bonfinio decad. 4. lib. 2. extiterint alij, cum quovis veterum comparandi: mirari subit, qui fiat, quod nostrorum adeò simus incuriosi, nec pro merito eos æstimemus: &, quod vitium senectuti Cornelius Gallus attribuit, laudemus preteritos annos, præsentes despiciamus: sumus καὶ εἴπερ ταῦτα γειότων, contemptores eorum, quæ ob oculos versantur, ut est apud Thucyd. lib. 3.

4. Hujus morbi ( verè sic appello ) causam hoc loco duplē proponit autor: una est, *ignorantia recti*: quia nimur pauci syncerum de virtute judicium ferre, eamq; veris pretijs æstimare nōrunt; externā tantum specie, ut corporis formâ spectabili, vestitū splendore, superbo comitatu, ambitiosâ pompâ, fortunâ deniq; magnos viros metiri solent.

5. Fit hinc, ut non tempore modò, sed & loco sejuncti, pluris fiant, famamq; præsentia minuat.

6. Quod expertus est Agricola, qui absens quidē maximâ & ipsi Principi invidendâ famâ claruit: at Romam reversus, penè obscurus latus. Sic enim de ipso noster autor in hujus libelli c. 40. Fuit, inquit, *cultus modicus, sermone facilis, uno aut altero amicorum comitatus: adeò ut pleriq; quibus magnos viros per ambitionem æstimare mos est, viso aspecto, Agricolâ, querent famam, pauci interpretarentur.*

7. Simili modo Spartanorum Rex Agesilaus, cùm jam senex in Ægyptum iret, Tacho Regi suppetias latus, quia & claudus erat, & statuta brevis, & vili palliolo par gregalibus, & nec aspectu verendum, expectationem illam summâ virtutis, quam apud Ægyptios obtinuit, adventu præsentiaq; penè omnem sustulit, nec tantum à vulgo ( cui imperatores formâ ac decore corporis comparare mos est. Tacit. i. hist. cap. 7. ) ludibrio habitus, sed etiā ab ipso Tacho rege, hujusmodi scōmate lacestitus

fuit

*FERTA.*

fuit: *adversus opes, quæs' d' ecclesiæ, n' d' exercit' p'p': id est, parturij mons, Iupiter autem metuit, at ille peperit murem. Scilicet quærebant famam, non interpretabantur. Ille verò virum & ducem se mox exhibuit, non parem famæ, sed majorem: non mitem, sed quod illi convitio reposuit ipse, Leōnem. Plutarch. in Agesil. Athenæus in deipnosophistis lib. 14. c. 4.*

8. Atqui externum istum splendorem, quem vulgò mirantur, falsum aut nihil esse, nec animi bona ex eo metiti nos debere, sapientissimè Seneca demonstrat epist. 115.

9. Altera hujus præsentium sive fastidij sive despicienciarum causa, eaq; præcipua, *Invidia* est ac livor, qui, ut ait Ovidius eleg. 15. lib. 1. — pascitur in vivis, post fata quiescit.

Tunc suis ex merito quemq; tueretur honos.

*Suum cuig, decus posteritas rependit, inquit Cremutius apud Tacitum lib. 4. annal. c. 35.*

10. Exprimit hanc causam, & exemplis illustrat Martialis lib. 5. epigr. 10.

*Esse quid hoc dicam, vivis quod fama negatur?*

*Et sua quod rarus tempora lector amat?*

*Hi sunt invidiæ nimirum, Regule, mores,*

*Praferat antiquos semper ut illa novis.*

*Sic veterem, ingrat, Pompeij quærimus umbram,*

*Et laudant Catuli Julia templa senes.*

*Ennius est lectus salvo tibi, Roma, Marone:*

*Et sua riserunt saecula Maenidem.*

*Rara coronato plausere theatra Menandro:*

*Nōrat Naso n̄i sola Corinna suum.*

11. Sensit idem apud Thucydidem lib. 6. Alcibiades, Atheniensium dux, ubi, *non sum nescius*, inquit, *quicunque splendore aliquo excellunt, in præsenti suâ vitâ graves esse paribus maxime, deinde & alijs, quibus cum vivunt, posteri autem se eorum consanguineos esse, licet id non sit, factant: & patria de illis, ut suis civibus, qui Rem pub. administraverint optimè, gloriatur.*

12. Quomodo etiam Pericles in oratione funebri sub finem ibidem lib. 2. Inter vivos quisq; amulū suū odit: qui verò fatofunctus nulli jam officit, avràtavivis & vivoia, syncera & non-amulā benevolentia ac laude honoratur.

13. Eadem in sententiam Demosthenes in orat. de corona: *Viventibus omnibus subest quadam major aut minor invidia: mortuum verò ne hostium quidem ulius prætere a odit.*

14. Porrò quod de primâ causâ dictum fuit, idem in hac altera

A 3 quoque

B 882 v. + 388  
quoquelcum habet, scilicet non tantum in remotos tempore, sed & loco sejunctos, invidiam evanescere.

15. Id quod præter Aristotelem lib. 2. Rhetor. cap. 10. observavit, & Græcia ducum exemplis demonstravit Amilius Probus, sive & Ne-  
pos. nam incertus autor est. Sic autem ille, quisquis est, habet in vita Chabriæ: Non libenter erat ante oculos ciuium suorum Chabriæ, quod & vive-  
bat laute, & indulgebat sibi liberalius, quam ut invidiam vulgi posset effugere.  
Est enim commune virium in magnis liberis, ciuitatis, ut invidia gloria co-  
mes sit. Et libenter de iis detrahunt, quos emergere videant altius: neq; animo  
& quo pauperes alienam opulentum inuentur fortunam. Itaq; Chabriæ, quoad ei  
licebat, plurimum aberat. Neq; vero solus ille aberat Athenis libenter, sed omnes  
ferè principes fecerunt idem: quod tantum se ab invidia putabant a futuros, quan-  
tum à conspicuæ suorum recessissent. Itaq; Conon plurimum Cypri vixit, Iphicra-  
tes in Thraciæ, Timotheus Lebni, Chares in Sigeo.

16. Ceterum ut non facile regulam invenire est, exceptione qua  
careat, ita hoc etiam axioma nostrum, de famâ vivis negatâ, non univer-  
sè verum deprehendas.

17. Quod non nescijt hoc loco autor noster, dum ita magnam in-  
terdum ac nobilem inquit esse virtutem, ut illos, quos diximus, bona  
famæ obices, ignorantiam recti ac invidiam, omnino vincat ac supergre-  
diatur.

18. Quemadmodum enim sol, si vertici nostro immineat, aut pro-  
sum tollit umbram, aut minimam reddit: & invalescens explicansque se  
flamma fumum discutit; sic ingens gloria extinguit invidiam. Plutarch.  
in moral.

19. Atque hi & merentur & habent famam. Sed sunt & alii, qui  
non tam suo merito, quam fortunæ quodam beneficio, & secundante  
popularis rumoris aurâ, ad nominis celebritatem vivi subvehuntur.

20. Horum famam cum Adonijs hortis non inscitè comparave-  
ris, qui subito & die uno nati, non ferunt ætatem, celerrimeque pereunt:  
quod Platonem de plerorumque scriptis pronunciâsse, Stobæus in Ethic.  
Eclo. refert, & exemplum Tacitus proponit lib. 4. annal. cap. 61. in fin.  
ubi, Q. Haterius, inquit, eloquentia quoad vixit celebrata: monumenta ingenij  
eius haud perinde continentur. Scilicet imperio magis quam curâ vigebat. ut q; alio-  
rum meditatio & labor in posterum valeat: sic Haterij canorum illud & proflu-  
ens, cum ipso simul extinctum est.

21. Adeò non diu placent, qua citò placent: multoq; firmior &  
præstan-

præstantior fama est, qua vires à tempore capit, ac (dicam Horatij ver-  
bis lib. 1. carm. od. 12.)

Crescit occulto velut arbor ævo.

22. Atque hæc potissimum fama postuma viris magnis sita in ocu-  
lis est, elle certè debet, juxta sapientissimum illud monitum Senecæ, epist.  
79. quod vice coronidis apponimus: Nulla virtus latet: & latuise, non ipsius  
est damnum. Veniet qui conditam, & seculi sui malignitate compressam, dies  
publicet. PAUCIS NATUS EST, QUI POPULUM ÄTATIS SUÆ CO-  
GITAT. Multa annorum millia, multa populorum supervenient: ad illa respice.  
Etiansi omnibus tecum viventibus silentium livor indexerit, venient qui sine of-  
fensa, sine gratia judicent. Si quod est pretium virtutis ex famâ, nec hoc interit.  
Ad nos quidem nihil pertinet posteriorum sermo: tamen etiam non sentientes co-  
let ac frequentabit.

Cap. 3. Auget cottidie facilitatem imperij Ner-  
va Trajanus. Et cap. 10. Omnia scire, non omnia  
exsequi: parvis peccatis veniam, magnis severita-  
tem commodare: nec pœnâ semper, sed sapiens pœ-  
nitentiâ contentus esse.

### Q V A S T I O II.

In justo Principe num facilitas imperij seu clementia  
locum habeat?

1. Remotâ justitiâ, regna non nisi magna latrocinia esse, D. Augustinus  
lib. 4. de civit. Dei c. 4. rectè pronunciat.

2. Aufer enim de medio justitiam; non probitati locus erit, non  
honestati, modestiæ, innocentiae: non exploratum cuiquam esse poterit,  
quid suum, aut quid alienum sit: omnia sceleribus, libidinibus, latroci-  
niis polluentur: & cum Tiridate, Armeniorum rege, apud Tacit. lib. 15.  
annual. c. 1. id aquiescat, quod validius: illud M. Varronis obtinebit;

Qui pote, plus urget. sic pisces sœpè minutos

Magnus comedet, ut aves eneat accipiter.

3. Porro cùm juxta Ciceronis illud scitum lib. 2. offic. potissimum  
fruende

D 15 P V T . V I I I A B T .

fruenda justitia causa constituti sint bene morati reges ac principes, mi-  
rum videri queat, cur iisdem tantoper Clementia, quae videtur adversa  
Justitiae, commendetur.

4. Sic enim Senecam aureolo scripto de clem. lib. 1. c. 5. Est Cle-  
mentia omnibus quidem hominibus secundum naturam, maximè tamen decora  
Imperatoribus: quanto plus habet apud illos quod servet, quantoq; in majore ma-  
teria apparuit.

5. Veruntamen omnia exputanti, apparebit, et si Luna Clementiae  
ab acri illo Justitiae Sole paullum secedat, nec ei pede presso usq; quaq;  
adhæreat, tamen secedere tantum, non item discedere: diversam potius  
quam adversam esse, & utramq; ad eandem metam, sed viā diversā, cur-  
rere.

6. Meta illa & suprema principum lex, Bonum Publicum est, cu-  
jus derelictionem contra naturam esse, quiq; ei consultit, semper officio  
fungi, recte Cicero docet offic. lib. 3.

7. Atqui non minus clementia quam justitia bonum publicum  
promoveri, sunt rationes, quae persuadeant, non leves aut aspernanda.

8. Primum enim, cum flagitia & facinora sine modo sint, ut inquit  
Lepidus apud Tacitum lib. 3. annal. c. 50. & juxta Thucydidis illud lib. 3.  
omnes natūris peccare & labi, quam privatim, quam publicē: aut si Plinij verbis  
in paneg. c. 4. id audire malum, adhuc nemo extiterit, cuius virtutes nullo  
vitorum confino lēderentur: si quis omnia exsequi & punire velit, solitu-  
dinem vastitatēmq; fecerit, ac genus humanum extinxerit.

9. Deinde hac etiam causā non est ex usu publico, rigidè semper  
punire, quia, secundum Senecam 1. de clem. c. 22. & 23. severitas quod ma-  
ximum remedium habet, amittit aſſiduitate, auctoritatem. Et videbis ea ſapē  
committi, quam ſapē vindicantur.

10. Ut enim cibus non est medicamentum propter continuum  
uſum: ita & castigatio aſſidua. Aristot. 1. econ. 5.

11. Præterea quemadmodum med. & plus interdum quiete, quam mo-  
vendo atq; agendo proficiunt, quod ex Hippocr. 2. aphor. 29. adducit Fabius  
apud Livium lib. 22. c. 18. & in morbis ribil magis periculosum est, quam im-  
matura medicina, Seneca consol. ad Helv. sic etiam intempestivis remedij  
deficit a non inquam accenduntur, id quod Felicem Judæa præfectum fe-  
cisse testatur autor lib. 12. annal. c. 54.

12. Præstat ergo, cum Agricola nostro quibusdam peccatis veniam  
commodare: nec poena ſemper, ſed ſepiuſ pœnitentiā contentos eſſe.

13. Præfertim cum non minus Principi turpia ſint multa supplicia, quam  
medico multa funera. Senec. 1. clem. 24.

Quam

T E R T I A

14. Quam ad turpitudinem odium accedit, indeq; periculum &  
exitium, cui perpetua severitas obnoxia: cum ex clementia contraria  
tur amor ciuium, unum & inexpugnabile munimentum principi. Ibid. c. 19.

15. Recte quippe Camillus apud Livium lib. 8. c. 13. Firmissimum  
longè, inquit, id imperium eſt, quo obedientes gaudent. Et Claudianus ad Hon-  
orium:

Non ſic excubiae, nec circumſtantiatela,  
Quam tutatur amor.

16. Quid? quod princeps Dei gerit in his terris imaginem? Nec  
verò ullā re propriis homines ad Deum accedunt, quam ſalute hominibus dandā.  
Cicero pro Ligar.

17. Quō ſpectant illa verba Stephani Valachiae Vaivoda in oratione  
ad Sigismundum Ungariæ R. qua culpam defectionis deprecatur,  
apud Bonfin. dec. 3. lib. 2. Imitare, Rex, Deos, immortales, quorum vicem ge-  
ris in terris: & ab his addiffe, respicientes e pœnitentiā animos non aspernari,  
non obſlare ſupplicibus, nullam poſtulantibus veniam abnegare: obſtinatos tantum  
proterere, & clementia potius ac officio, quam ſeveritate benevolentiam homi-  
num promere: i.

18. Item illa Joannis Transylvaniae Vaivoda, in oratione ad Ma-  
thiam I. Hungariæ Regem habitā, apud eundem, decad. 4. lib. 1. Nulla in  
regia majestate virtus plus dignitatu habet, quam ipsa clementia, qua Deum re-  
ges proprii accedunt. Quid enim magis regium eſt, quam vincere ſeipſum, par-  
ce ſupplicibus, & errata mortalium, cum tutō fieri potest, facilitate potius quam  
ſeveritate corrigerē?

19. Cum tutō fieri potest, inquit. Eſt enim, cum intempestiva cle-  
mentia non minus periculi, quam intempestiva ſeveritas accersit.

20. Quod experti malo ſuo ſuere Stephanus II. & Andreas III.  
Hungariæ reges: quorum ille (dicam Bonfinij verbis decad. 2. lib. 6.)  
Chunis ob meritā ducis eorum Thathar, nimium indulſit, qua Regis in-  
dulgentia uſq; adeo elati fuerunt, ut in patrando quoq; maximo ſcelere  
nil penſi haberent, impunē contumelijs & rapinis Ungaros paſſim affi-  
cientes:

21. Hic verò initio regni ſui in factiosos non censuit eſſe ſavien-  
dum: ne à ſeveritate potius quam clementia clarum nomen inchoaret.  
Cogitans forte illud Taciti, 4. hist. cap. 63. novum imperiū inchoantibus uti-  
lis clementie fama. Sive, ut loquitur Bonfin. decad. 5. lib. 1. Non crudelitate,  
ſed mansuetudine, imperij rudimenta ponere oportet. Sed hac ſibi mansuetu-  
dine minus bene consuluit. Hinc enim conjuratis auti magis animi  
B sunt,

sunt, quippe qui prudentiam patientiamque regis pro ignavia capiebant, ut prodit idem autor decad. 2. lib. 9.

22. Atque de hac intempestivâ clementiâ, seu lentitudine potius, accipiens est Guntherus in Ligurinolib. 1. vers. 478 & seqq.

*plus sepe nocet patientia Regis,  
Quam rigor. ille nocet paucis, hac incitat omnes,  
Dum se ferre suos sperant impunè reatus.*

23. Quod facit illud Sallustij in Catil. cap. 52. & in Jugurth. cap. 31. quis celerat pars cuncta, bonos perditum eunt. Et illud Lactantij in de irâ Dei, cap. 17. Bonorum salutem custodit, qui malos punit: ipse autem est nocens, qui non clementi pars, ut pluribus noceat.

24. Est ergo tenenda hic illa pulcherrima regula, quam Seneca prescribit lib. 1. de clem. cap. 2. Non vulgo ignorare decet, sed adhibenda moderatione est, quae sanabilitas ingenia distinguere a deploratis sciat. Nec promiscuam habere ac vulgararem clementiam oportet, nec absconditam. Nam tam omnibus ignorare crudelitas est, quam nulli. Modum tenere debemus. sed quia difficile est temperamentum, quicquid a quo plus futurum est, in partem humaniorem preponderet.

25. Laudabilem hanc moderationem, ne res exemplo careat, observarunt cum alij laudatissimi quique & maximi principes, tum ex Regibus Hungariae ( nostrorum enim hominum exemplis libentiis utor ) Bela I. de quo Bonfin. decad 2. lib. 3. ab initio: *Quicunque hostium, quos fuderat, partes secuti fuerat, eorum uxores, liberos atque fortunas incolumes illasque servavit, ut quoniam vellet, omnibus post liminio redire foret integrum. Quin et solenniter his editio redeundi data est copia. estque memorabile quod sequitur, eo beneficio viatos, rediisse quam plurimos, eosdemque fideliissimos postea factos esse.*

26. Estenim incredibile, quantam insignita haec aliqua clementia principi benevolentiam ac fidem subditorum conciliat, & cum eos, quibus signatum est, tum alios arceat a simili conatu, vel penitentia, vel pudore. Verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis, ait iterum Seneca. 1. clem. 22.

27. Hanc ob cives servatos coronam (qua nullum ornamentum Principis fastigio dignius pulchriusque esse, Seneca ibid. cap. 26. in fin. scribit) vel in primis meruit Ladislaus, sanctitatis illud exemplar: de quo idem rer. Ungar. scriptor decad. 2. lib. 4. in dicendo jure tanto, temperamento utebatur, ut non minus iustum quam misericordem reputares. quare Pius ex cognomento dictus est.

His

28. His adde Ludovicum, quem tyranni notam diligentius morte præcavisse, & Homericu illo decoratum elogio fuisse -- *marius d' es imo  
er. -- mitis erat patris instar, apparet ex eodem, decad. 3. lib. 1. sub fin.*

29. Neque vero silentio prætereundus est Ferdinandus Imperator, idemque Rex noster inclitus, de quo Sambucus in orat. funeb. *Iustus fuit, quia imperare norat: legum rationes tenuit, nec utilitate, sed natura & pie-  
tate illas proponebat, valere in loco & tempore iussit. Etenim fundamentum juris  
est, ipsa propensio ad diligendum genus mortale, misericordiam, declarandam.  
Neq; quinquennio tantum clemens, quod Trajanus de Nerone dicebat, sed perpetuò  
mitu, & pie in populo, pastor populifuit.*

30. Ex quibus & alijs præstantissimorum Regum nostrorum exemplis (ut in transitu hoc adjiciamus) elucescit, quam iniquum & malignum sit Joannis Varadiensis antistitis de gente nostra judicium in oratione gratulatoria ad Ladislaum, post Mathiae Corvini mortem ad Hungarici regni solium, evectum, quae extat apud Bonfin. decad. 4. in fin. lib. 9. *Vnum, inquit, non te latere percupimus, quando bellicosa asperaque gentis  
habenas capis, Vngarorum non indulgentia, sed severitate molliri: non clementia &  
impunitate, sed virga ferrea in obsequio reineri.*

31. Quantò sincerius veriusq; laudatissimus Imperator Maximilianus I. *Vngarorum ea esse dixit ingenia, ut lenitate facilius quam inclemencia  
flecterentur? Idem decad. 5. lib. 1.*

*Cap. 4. Sedem ac magistrum studiorum Massi-  
liam habuit, locum Graciam comitate & provincia-  
li parcimoniam mistum, ac bene compositum. Item  
cap. 5. Nec Agricola licenter more juvenum, neque  
segniter ad voluptates & commeatus, titulum tri-  
bunatus & inscitiam rettulit: sed NOSCERE  
PROVINCIAM, &c. Et cap. 19. animorum  
provinciae prudens.*

B 2

QUAE.

## Q V A E S T I O III.

An hominibus illustribus, & quomodo, peregrinandum?

1. In epigrammatis Claudio cum primis elegans illud est, quod de seni Veronensi scripsit,

qui proprijs ærum transgit in arvis:

Ipsa domus puerum quem videri, ipsa senem:

Qui baculum tenet, in qua repavit arcu,

Vnius numerat secula longa casæ:

Proxima cui nigris Verona remor oritur,

Bena cùm putat litora rubra lacum.

Et quæ sequuntur cetera, hoc epiphonemate clausa:

Erret, & extremos alter scrutetur Iberos:

Plus habet hic vita, plus habet ille via.

2. Geminus huic est seni senex nescio quis Aglaus Psophidius, Arcadum quidem pauperissimus, sed quia terminos agelli sui nunquam ex cesserat, parvuli ruris fructibus ac voluptatibus contentus, ipsi Gygæ, Lydorum Regi, potentia & opibus in speciem beatissimo, oraculi voce prælatum eum scribunt Solinus polyhistor cap. 7. Valerius Maximus lib. 7. cap. 1. & Plinius lib. 7. cap. 46.

3. Verum enim verò quia, quæ C. Pedonis verba sunt,

Non eadem vulgusq; decini, & culmina rerum:  
& monente Sallustio ad Cæs. orat. 2. Patres consilio valere decet, in populo supervacanea est calliditas: ut in talibus agricolis, & alijs imi subsellij hominibus non magnopè peregrinationem requirimus, sed humiles istas & plebejas animas domi residere, suæ affixas terræ, facile patimur: ita natis illustri loco, & artes docendis eas, quibus utrumque tempus, & armorum, & pacis, olim recte gubernare possint, esse perutile ac pene necessarium arbitramur, ut exterios invitant, nec semper domi fese, velut apum rex in alveo, vulsis alis, concludant.

4. Etenim quanto magis arduum est, & Xenophontis verbo in pædiâ Cyri, ἡ τερπύεται ἐργον, τὸ οὐλός αὐχεῖν, plus quam magnum munus, salutariter & ex usu publico alijs præesse, tanto pluribus etiam ad id adminiculis instructum accedere convenit: quorum omnium, Peregrinatio velut gymnasium quoddam haberi potest.

5. Atque initio quidem illud est in confessio, quod Aristoteles affirmat lib. 3. polit. cap. 3. propriam imperantis virtutem esse prudentiam, sine qua

qua Rempubl. non magis quis rexerit, quam in vasto mari navim sine ferro quod magnes affricuit.

6. Prudentiam autem acquiri peregrinando, cum experientia nobis auctor Homerus est. Is in Odysseâ passim Ulysses suum facit πολυπον, & πολυμητη, hoc est, ut Virgilius lib. 8. Æneid. interpretatur,

qui animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,

In partēq; rapit varias, pérq; omnia versat.

Quomodo etiam Guntherus in Ligurino lib. 9. vers. 58. Fridericum I. cognomine Barbaroslam, ad Homeri, credo, imitationem, multimodum ducem appellat.

7. Cautam verò hanc & prudentem Vlyssis πολυπονα, & versatile multimodumque ingenium, hinc maximè Homeri nobile carmen, in Odysseâ veitibulo, afferuit, quod ille πολυπον ἀνθεπωνιδεν ἀστα, καὶ νοοντος hoc est, interprete Horatio quid mores hominum multorum ridit, & urbes. Urbes, inquam, sed & mores, instituta varia ritusq;. Nam qui illas tantum, discurrent verius, nec, nisi forte secum, peregrinantur.

8. Et Strabo lib. 1. prudentissimos, apud veteres, heroas existimat, fuisse sribit illos, qui varias & longinquas peregrinationes suscepserint.

9. Cui Cassiodorus lib. 1. variar. epist. 39. calculum adjicit, ubi commemorato isto Vlyssis exemplo, subiicit, illos prudentiores semper habitos, qui multorum hominum conversationibus probantur erudit.

10. Imò testis his omnibus locupletior, sapientissimus Iesus Sirach cap. 39. vers. 5. dum ea, quæ ad sapientiam comparandam pertinent, exponit, peregrinationem non in postremis adjungit. In terram, inquit, alienigenarum gentium pertransit. Bona enim & mala in omnibus tentabit.

11. Deinde nec illud inficias quis ibit, in futuro magistratu doctrinam requiri.

12. Non homo, ne dum hominum princeps rideretur, doctrinâ qui destituitur, verbo Vladislai Regis apud Æneam Sylvium, lib. 3. histor. Boh.

13. Cum autem duplex sit acquirendæ doctrinæ via, à libris una, à doctore altera: quamvis illa, quiete secretoque magis gaudet, nec excutsu eget, quippe domi etiam paribili librorum copiâ: in hac tamen, in doctoribus inquam, aliter est.

14. Nam providentia divina magnum hunc Mundi hortum veluti perareolas, variè colit, artiumque flores per gentes spargit, nec unialiqui regioni felicissima omnia ingenia includit; sed suam cuique terræ velut gemmulam assignat, quæ eam illustret. Hanc adire oportet, hanc

*Qis 2 v. 5.*

audire, & è sacris illis pectoribus hianti ore abditæ doctrinæ fontes expipere.

15. Factum id à Platone, Pythagora, Democrito, Lycurgo, sapientibus viris alijs, acri quadam cupidine discendi non ad cultos solum, sed ad barbaros etiam profectis: factum ab Agricolâ nostro, qui, relictâ patriâ, quod præscripta quæstioni verba ostendunt, Massiliam Galliæ Narbonensis urbem, sedem ac magistrum studiorum elegit.

16. Adde quòd, cùm loca prisca, monumenta, rudera, & campos ubi Troja fuit, iustramus, non modò ad eruditionem, aliquam accessionem fieri, sed & animos nostros nescio quomodo attolli, & grandiores sese factos ad gloriam honestumq; mirè excitari cernimus.

17. Quâ causa Germanicus Cæsar post visam Græciam, Thraciam, Armeniam, Asiacq; oram, tandem etiam in Ægyptum proficiscitur, cognoscenda antiquitas, ut prodit autor noster lib. 2. annal. cap. 59.

18. Ad eruditionem refero linguarum cognitionem, & ipsam homini politico cùm honorificam, tum perutilem ac necessariam, sed apud exterios multò, quā domi parabiliorem: Latinæ quidem præcipue, ut quæ totius propemodum Orbis terrarum commune quasi vinculum est; verū interim earum quoque gentium, cum quibus aliqua communio intercedit, quarumque idiomata nunc temporis in omnium ferè Christianorum principum aulis vigent ac florent: cùm congressibus hominum καὶ πρόσωπον affidere, nutu duntaxat & signis, animi sensa exprimere; cum legatis aut exteris alijs ore tantum alieno colloqui, valde turpe & indecorum, nec raro perniciosum sit.

19. Unde Matthias Corvinus, Rex noster inclitus (cujus laudatissimi principis exemplo libenter saepius utimur) multarum cognitione linguarum polluit, præter Turicum & Græcum, omnia Europea glossemata calluit, Bonfinio testante sub finem libri 9. decad. 4.

20. Tertiò quantum ad virtutis ac morum culturam peregrinatio momentum adferat, Menandri senarius ille docet: Πάντη βίον τίβεν οὐ προνέσεο, Peregrinatio vitam reddit moderatorem.

21. Quæ moderatio consistit cùm in humanitate affabilitatēq; tum etiam in modesto de se sensu: quas virtutes nescio quomodo, peregrinatis cumulatores inesse videmus:

22. Cùm contraria μακρόθερποι illi, perpetui matricularum affectæ, ac domi portæ cochlearæ, ut plurimum inaffabiles, impatientes, inhospitales, illibetalésq; depræhendantur; in primis autem inani persuasione tumescant,

*T. EB. Tit.*

tumescant, soli sibi judicium & censionem omnem vindicent, nec putent, alijs etiam & alibi deos esse.

23. Neque id mirum. Necesse est enim, sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat. Quintil. lib. I. instit. orat. c. 2. Quò pertinet illud Platonis dictum, à Plutarcho multis in locis celebratum, ἡ αὐδήσει ἐγνωμόνας, arrogantia solitudini aſita.

24. Vitium tantò magis in viris principibus peregrinando discutiendum, quantò magis ipsis hic affectus per le quasi agnatus, ut fortunata, sic sensibus super alios se putare, juxta Senecæ illud in Medea:

— regale hoc putat,  
Sceptris superbas quisquis admovit manus,  
Quā caput, ire.

25. Adde quòd peregrinando præter internam illam, etiâ externa, ut sic dicam, virtus, morum, inquam, elegantia & venustas acquiritur: quid in cultu, vestitu, sermone, gestu, actionibus alijs deceat dedeceat, cognoscitur: domestica rusticitas extero civilitatis cultusq; sale maceratur:

26. Cùm alios interim videamus inter suos domi in umbratili vîtâ planè, sylvestre. Quod quā sit in eo, quem in maximâ celebritate & in mediâ Reip. luce aliquando vivere oportet, indecorum & εὐγενεῖτον, dici non potest.

27. Idque confirmat, ut alia mittam, Ranimiri Hispanorum Regis exemplum, qui ob ab hanc morū simplicitatem & rerum imperitiam suis Proceribus risui & ludibrio fuit. Cùm enim, susceptâ contra Saracenos expeditione, eques, brachio sinistro scutum, dextro lanceam adaptâset, mox frena equi appræhendere juberetur: qui possum, inquit, utramque manu occupatâ, nisi hac dentibus retinenda quis porrigit? Collenutius lib. I. hist. Neap. & Roderic. Sanct. hist. part. 3.

28. His ergo, & quæ possent plures adduci, de causis, inducias ad tempus cum Laribus paternis esse facientes Magnatum filijs, excurrendum ad exterios, sed ita statuimus, ut primùm triplex ille finis, quem diximus, prudentiæ, scientiæ, morum, perpetuò sit in oculis.

29. Deinde cùm sint in peregrinatione, ut de pharmaco Helenæ loquitur Homerus Odyss. lib. 4.

— Πολλὰ μὲν ἐθλὰ μεριμνά, πολλὰ δὲ λυχνά,  
ac vitiorum ubique larga & obvia seges occurrat, ut ne quas inde spicas improvidè quis colligat, sed cum judicio peregrinetur, & præcepto Senecæ epist. 104. admeliora transferat.

Tertiò

D 252 V F

Tertiò ut restitutus patriæ, vel vestes peregrinas, vel mores à patrijs institutis alienos affectatè ne usurpet, seseq; νόμον καὶ χώραν accommodet.

30. Quod qui non faciunt, privati risum aut contemptum, viri principes etiam tibi perniciem accersunt.

31. Exemplo *Vonones* est, qui à Tiberio in regnum Parthicum missus, ipse quidem Parthus, sed Romanorum artilus i fectus, non diu gratus ipsis fuit. Accendebat dignantes ipse, diversus à majorum institutis, raro venatu, segni equorum curâ, quoties per urbes incederet lectica gestamine, fastuq; clausa. Tacit 2. annal. 2.

32. Hoc amoto, favor nationis inclinabat in Zenonem, quod is primâ ab infantia instituta & cultum Armeniorum emulatus, venatus, epulus, & que alia barbari celebrant, proceris plebemq; juxta divinxerat. Idem ejusdem libri capite 56.

Memoriâ teneo, solitum *Agricolam* narrare, se in primâ juventâ studium philosophie acris (ac juris, legunt alijs) ultra quam concessum Romano ac Senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisse. Scilicet sublime & erectum ingenium, pulchritudine ac speciem excelsa magnaque gloria vehementius quam cautè appetebat: mox mitigavit ratio & atas: tenuitq; quod est difficilimum, ex sapientia MODUM.

#### Q U A E S T I O N E R I V.

Qualia illustri natorum loco studia esse debeant?

1. Quod sive Aristippus, sive Agesilaus, sive aliis quispiam, (pluribus enim id adscribitur,) dixit: adolescentibus ea porissimum esse discenda, quae aliquid viris factis utilia ac honorifica sunt futura, ut est apud Laertium lib. 2. cap. 8. & Plutarchum in Laonicis: quodq; idem Plutarchus in

Lycurg.

#### T E R T I A.

Lycurg Spartanis tribuit, literas eo; ἔνεργη τῆς χρείας, ad USVM tantum didicisse, id cùm alijs, tum ijs in primis observandum est, qui itana: i sunt, ut boni malág, eorum ad Rempub. pertineant, quod de Germanici liberis ad Imperij spem educandis Tiberius inquit apud Tacitum lib. 4. annal. cap. 8.

2. His enim talibus in uariorum tantò fugienda magis est, amplectendum contrà (quod à Diogneto se didicisse M. Antoninus Imp. apud Suidam ait) τὸ ἀντίστροφον, hoc est, studiorum inutilium contemptus, quantò gravius est, quod olim subituri sunt, onus administrandæ Reip. quantoque properare magis oportet, ne occupatos in sternendâ politicam ad vitam viâ, aut studijs instituto suo vitæq; generi parùm convenientibus impeditos, senium occupet.

3. Atque hunc in literarum studio MODUM sapientissimus autor Seneca (altos latére patimur) passim commendat.

4. Epist. 88. sic habet: An tu existimas reprehendendum, qui supervacua usu sibi comparat, & pretiosarum rerum pompan in domo expl. c. ut non putas eum, qui occupatus est in supervacua literarum sapientile? Plus scire velle quam sit satis, intemperantia genus est.

5. Erin fin. epist. 106. nos, ut cetera in supervacuum diffundimus, ita philosophiam ipsam. Quemadmodum omnium rerum, sic literarum quoq; intemperantia laboramus: non vita, sed schola discimus.

6. In primis autem epistolis 45. & 48. multus est in perstringendis ijs, qui in aditu philosophiae versantes, adyta ejus nunquam vident: attatem conterunt ἀριθμούς, & acumen irritum exercent ijs argutijs, quas nôsse, tantidem interest, quanti, plurés ne supernè quam infernè dentes, Evandri mater habuerit. Utinam, inquit, tantum non prodestant verborum illæ cavillationes & captiose disputationes! nocent. Hoc manifestum est, communi & debilitari GENEROSAM INDOLEM in istas nugarum angustias conjectain.

7. Scriptis & in nostri seculi homines incepit eruditos egregiam satyram Petrus Cunæus: itemque Euphormio Lusininus (quo se nomine Joannes Barclajus occultare voluit) in satyrico non semel ridet ἀποβατής istos, subtilium potius quam utilium consecutatores, qui, non secus ac sciuri in rotâ circa immobilem axem gyrandâ occupatissimi, movent plurimum, at nihil promovent.

8. Sanè si in privato homine, in quo unius tantum sors est, ista perversa discendi ratio improbanda est: quantò magis in natis illustri loco hominibus, quorum in rectâ institutione salus universorum agitur?

C

Venit

B 352 v. 23  
9. Venit mihi hīc in mentem, quid Cuspinianus de Maximiliano 1.  
in ejus vitā lcribat. Laudatissimus hic Imp. sub magistro Petro, qui postea Nove  
civitatis aristes fuit, literas didicit. Sed cū Petrus sophismata illi inculcare vel-  
let, ad qua capessenda aptus non erat, verberibus tandem effecit, ut literas magis  
udio haberet quam diligeret. Itaq; jam Romanorum Rex factus, dixisse fuit: si  
hodie praeceptor meus viveret Ferrus, quamquam multa praeceptoribus debeamus,  
efficerem, ut imperita institutionis illum pāniteret.

10. Porrò Modum hunc non tantū in neglectu spinosarum &  
omni bonā cassarum fruge subtilitatum ponimus: sed & in illis studijs,  
quæ Rempub. administraturo vel necessaria sunt, vel utilia, ~~usepiam~~,  
nimis accuratam diligentiam, & extremam, ut Fabius appellat, anxieta-  
tem improbamus: literaturam exquisitam non requirimus. &, si placet,  
etiam improbamus: potius committimus ijs, qui vitæ quasi tabernacu-  
lum in literis ponere, ac præcipue in scholis utilem operam navare con-  
stituerunt.

11. Quemadmodum enim illi, qui, ut multos hominum mores  
& instituta cognoscant, peregrè proficiscuntur, tantum in qualibet urbe  
morantur, quantum ad prudentiam ex multarum rerum usu & cogni-  
tione colligendam satis est: non secus Illustribus hominibus, non im-  
moriendum artibusest, aut omnes earum persequendæ minutæ subtili-  
tatesq;: sed ex unaquaque tantum quantum ad virtutis usum & guber-  
natrix sapientia disciplinam conferre poterit, sumendum est, & cum  
Enniano illo Neoptolemo, dissentiat ut velit Cicero lib. 2. Tusc. à pr.  
PHILOSOPHANDUM PAUCIS. A. Gellius lib. 5. noct. Attic. cap. 15.

12. Ne res exemplo careat, habemus primum in autoris precripto  
questiōnē loco, Agricolæ, qui, ut corporis & ingenij vires, exantlandis  
in Repub. laboribus integras conservaret, eas intempestivis studijs deter-  
rere noluit, sed quantum Romano, & olim Senatori sufficeret, didicit.

13. Alterum exstat lib. 4. histor. cap. 5. magni viri, Helvidij Prisci,  
qui ingenium illustre altioribus studijs venis admodum dedit: non, ut pleriq; ut  
nomine magnifico segne otium velareret, sed quod firmior adversus fortuita, Rempub.  
capesseret.

14. Tertium Servij Tullij Rom. Regis est, quem eruditum fuisse ar-  
tibus, quibus ingenia ad magna fortuna cultum excitantur, testis Livius est  
lib. 1. cap. 39.

15. Talis Scipio ille posterior, talis Cornelius Sulla, Pompejus,  
Lucullus, Cæsar; atque adeò quotquot in Repub. eminentes postea  
fuerunt, hunc animi cultum, sed quatenus opus, & ad rem atque usum  
pertin-

pertineret, assumserunt: &, quod Pericles Atheniensibus tribuit apud  
Thucyd. lib. 2. ~~avem manias, sine mollitie aut desidiā~~ sunt philosophati, do-  
ctrinam ad prudentiam magistram habuerunt.

16. Multò quidem hi melius, quam vel Trajanus, qui, quod im-  
pensiū Græcis studijs esset imbutus, à nonnullis Græculus dicebatur, ut  
Spartianus in ejus vitā, cap. 1. scribit: vel Julianus Apostata, qui ob ean-  
dem affectatæ supra modum doctrinæ culpm, Græcus literio audivit,  
teste Ammiano Marcell. lib. 17. cap. 22. vel Michael Parapinaceus, Imp.  
Constantopolitanus, qui Michaële Psello, summo è tempestate phi-  
losopho, magistro, totum literis sese dedit, gubernationem rerum Eu-  
nuchis committens, & imperium turpissimè de honestans. Zonaras an-  
nal. tom. 3. vel Alfonsus, qui totus in Astronomicis, cœlum potius co-  
luit quam terram, non illud poëta sibi dictum putavit, Æneid. 6. quas  
Virgilianas sortes Imp. Alexandro Severo obtigisse, Lampridius in ejus  
vitā cap. 14. testatur:

Orabunt alij melius, cœliq; meatus  
Desribent radio, & surgentia sidera dicent.

Tu regere imperio populos, Romane, memento.

17. Porrò quas Magnatum filijs artes potissimum tradendas, viri  
prudentes existimant, juvat compendio dicere.

18. Instillatis ergo ipsa ab infantia pietatis religionisque sanctæ  
præceptis, jaçtis etiam Grammaticæ Dialecticæq; fundamentis, quæ su-  
perstruenda sunt, trium classium faciunt, Splendoris, Prudentiae, Virtutis.

19. Ad primam classem initio referunt linguarum cognitionem, de  
qua suprà.

20. Deinde Eloquentiam, cuius cum deore nullus purpuræ nitor,  
nullus geminarum & auri splendor conferendus est.

21. Nec immerito inter alia repræhensione digna hoc quoque in  
Nerone notatum fuisse scribit autor noster lib. 13. annal. cap. 3. eum pri-  
mum ex ijs, qui rerum porti essent, aliena facundia equisse: dum scilicet ora-  
tione non à se, sed à Seneca præceptore composita patrem Claudium de-  
functum pro concione laudavit: qua facultate priores Impp. omnes ipsi  
valebant.

22. Secundæ classis, & quæ faciunt ad prudentiam, politica sunt  
& historicæ, propria horum talium palæstra, ubi se exerceant; idque tan-  
tò magis, quod, cū aulici ad gratiam loquantur, alij ne mutire quidem  
audeant, ista consilijs fidisemper & recti, deterso omni adulatioñis fuco,  
copiam eis faciant.

*Dicitur*  
23. Huc enim propriè pertinere arbitror id quod Alphonsus olim interrogatus, qui essent optimi consiliarij? Mortui, respondit, ut est apud Panor. lib. 3. Quaratione & Plutarchus in apoph. refert, à Demetrio Phalereo Ptolemaum Regem admonitum, ut conscriptos de regno imperioq; libros sibi pararet & legeret. Nam quæ amici non audent reges monere, ea in libris describita esse.

24. Atque hanc partem non mediocriter adjuverit, aliquid operæ in physicā & mathēsi descendā ponere.

25. Tertij generis Ethica est, quæ principem probum moribus, sensuq; modestum, animo magnum firmūmque faciat, alijs ornat virtutibus.

26. Quod ita fieri, etiam publicè interest, cùm rectè facere Princeps cives suos faciendo doceat, ut inquit Velleius lib. 2. cap. 126. & Alphonsi Regis apophthegmate, ut herba quadam ad Solis motum, sic populares in Principiū mores vertantur.

27. Haec tenus allata pertinent, ut Logicis utamur terminis, ad quæstionem cùm QUALE tum QUID sit: quæstionem vero A N S I T ideo duximus omittendam, quod sciremus, eam non nisi à Centauris quibusdam aulicis controversam fieri: publico meliorum consensu in illam decantatam ab iri Platonis sententiam, quam ex eo Cicero, ex utroq; Prudent. lib. 1. cont. Sym. est mutuatus: Fortunata Res erit publica, si aut sapient Reges, aut regnaverint sapientes.

28. Ceterum libet annextere quæstionem illam nobilem, an litera ad militarem gloriam intendenti sint impedimento?

29. Quamvis autem in partem negantem cùm rationes, tum exempla, præter Agricolæ nostri, plurima alia possent adduci: tamen in duobus nostratisbus acquiescam.

30. Primum Ludovici I. Regis Vngariae & Poloniæ est, quem literis non minùs quam armis præstítisse, Martinus Cromerus in fine lib. 13. de reb. Polon. pluribus ostendit.

31. Alterum Mathiae Corvini, qui & ipse doctissimus, & doctorum summus Mecænas, in ipsa regiâ Budæ bibliothecam verè regiam instituit, ex qua superiori aetate prodierunt utilissimi libri, Polybius, Diodorus Siculus, Nicephorus, alij: atque etiam TACITUS noster aliquam vitæ suæ partem ei debet, ad exemplar manuscriptum codicis Budensis à Beato Rhenano emaculatus & editus. Hunc incomparabilem thesaurum in tyranni Turcici fauibus hærere, cum dolore recordamur. At si ipse quam præstans miles fuerit, ut alia mittam, vel ex eo patet,

*PER TURCOS*  
tet, quod Austriae matres, ipsius nomine appellato terrem infantibus incutere solitæ sunt, acclamantes Mathiasch kompt. Quomodo etiam patris ejus Joannis Hunniadis nomen apud Turcas usque adeò fuisse terrorificum Æneas Sylvius Europ. cap. 5. scribit, ut nutrices ad comprimendos infantilorum vagitus Hunniadem adesse confingerent.

Cap. 5. summarerum, & recipere provincie gloria, in ducem ceſſit. Et cap. 8. Nec Agricola unquā in suam famam gestis exulta vit: ad auctorem & ducem, ut minister, fortunam referebat.

#### Q U Ä S T I O V.

Angloria bellica, soli principi vel duci, cuius auspicijs ea parta, tribuatur?

1. Q Curtius lib. 8. de rebus gestis Alexandri M. c. 1. cùm Clytus ne- cem commemorat, in illius facti sevissimi mediâ expositione: Tum Clytus, inquit, ne ipse quidem satis sobrius, ad eos, qui infra ipsum cubabant, con- versus, Euripidus retulit carmen, ita ut sonus magis quam sermo exaudiri posset; quo significabatur, malè instituisse Græcos, quod tropheis, Regum duntaxat nomina inscriberentur. alieno enim sanguine partam gloriam intercipi.

2. Ad hoc Euripidis carmen, quod nutu tantum vel digito Curtius hoc loco commonistrat, ipsâ manu correptos nos deducit Plutarchus in Alexandro: idq; sumptum ostendit ex Andromache tragœdiâ, act. 3. ubi Peleus queritur, rei à Græcis apud Trojam gestæ Atridas gloriam sibi vindicare, cùm ipsorum minima fuisset opera.

3. Sed juvat, ipsos Euripidis versus apponere latine redditos.

Heu mihi, quam servat perversum Cracia morem,  
De viuis statuit quando trophya suis:  
Non hic communis laudantur militis arma.  
Solus enim laudes induperator habet.  
Quilibet aravibret tantum, nec plus agat uno:  
Attamen hanc solum bellica fama manet.

4. Ad hunc locum, Ciceronem respexisse crediderim, cùm pro M. Marcello inquit: bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, eisq; de rabe ducibus, communicare cum multis, ne propria sint imperatorum.

5. Malè, qui qui hoc faciunt, facere palam est, nec cogitare, quod Admīnistrer, regis sui sit opus, à quo fatum accipit, atq; (quæ sunt Horatijs verba ex serm. 2. satyr. 7.) dicitur, ut nervis alienis mobile lignum: adeoq; nihil videatur aliud, quam ὁ οὐρανὸς μυστήρια, quod est in proverbio.

6. Quaratione Aristoteles etiam lib. 1. polit. c. 3. & lib. 8. Eth. c. 11. ministrum omnem ὄργανον τοῦ ὄργανου, καὶ μακρὰ ὄργανον ἐπιτύχον, instrumentum quoddam animatum appellat.

7. Et sanè si foret absurdum, in ἀπόσπουδᾳ quadrigarūmq; certamine victores equos cum eo, cuius arte agitabantur & regebantur, expostulare, quod non & ipsi coronentur: quid ni haberetur absolum, victoriā militi potius, cuius labore, quam principi, cuius si non consilijs, certe auspiciis ea parta, transcribere?

8. Auspicij autem Imperatorijs (sic Tacitus vocat lib. 15. annal. cap. 26.) quanta vis insit, quodq; illis plura quam telis ac manibus gerantur, ut inquit idem autor, 13. annal. c. 6. ostendunt cum alia, tum illa petitio Nabarzanis ad Darium, de qua sic Curtius lib. 5. c. 9. Dijs adversis bellum inimus, & pertinax fortuna Persas urgere non desinit. Novis iniurijs & hominibus opus est. Auspiciūm & imperium alij trade interim, qui tamdiu Rex appelletur, donec Asiacedeat hosti; viator deinde regnum tibi reddat.

9. Quomodo etiam Tiberium Galeriumq; subjectos alij egregia pleraq; suo autem ductu atq; auspicio minus paria expertos esse, S. Aurelius Victor prudenter observavit de Cæsarib. c. 43.

10. Hac ipsa ratione ad pugnam Othonem extimulat frater ejus Titianus, & praefectus prætorij Proculus, fortunam, & deos, & numen Othonis (quæ quid aliud quam auspicia sunt?) adesse consilijs, affore conatibus testantes. Tacitlib. 2. Histor. c. 33.

11. Respexit huc Horatius lib. 4. Carm. ode. 14. Imp. Augusto ducis ejus fælicitatem assignans:

— barbarorum Claudio agmina  
Ferrata vasto diruit impetu:  
Primisq; & extremos metendo  
Stravit humum, sine clade viator:  
Te copias, te consilium, & tuos  
Præbente divos.

12. Facit huc illud Appij Claudij apud Livium lib. 6. c. 41. Auspicij bello ac pace, domi militiaq; omnia geri, quis est qui ignoret?

13. Quæ cùm ita sint, jure merito principes hoc suæ magnitudinis tributum exigunt à ministris, rerūmq; gestarum gloriam sibi propriam servant.

14. Cujus

14. Cujus rei exempla, et si in re clarâ nihil ijs opus esse queat videri, dabimus unum atq; alterum. Noster lib. 1. histor. c. 79. Viator, inquit, Sarmatis lætabatur Otho, & gloriā in se trahebat, tanquam & ipse felix bello, & suis ducibus suisq; exercitibus Rempub. auxisset.

15. Sic Ammianus Marcellinus lib. 16. cap. 15. & 35. Constantium Imp. scribit à ducibus gesta felicitatis sua prosperis cursibus assignasse, & laureatas literas, nullā ducum illorum factā mentione, ad provinciarum signa misisse: cùmq; gestis non adfuisse, edictis tamen testatum est, se & dimicasse, & vicerisse. Jacstantius id quidem, attamen autoritatis conservandæ causâ, quæ valde imminuitur, cùm quis alius, præter Principem, famam gloriāque rei gestæ ad se trahit: quippe ducis boni imperatoria virtus est, inquit noster in hujus libelli capite 39.

16. Atque hinc ijs administrī, quibus aliquid salit  
— lœvæ in partē mamillæ,  
lubenti animo accepta omnia principi referunt, & Lunam imitantes, gloriæ suæ lumen omne refundunt illi Soli.

17. Ut res exemplo clarescat, Ioabus militiæ Davidicæ magister, in obſidione Rabbathæ, cùm ad excidium urbis omnia parata essent, per literas Regem Davidem hortatur, ipse veniret, & hunc quoque titulum viatorijs suis apponeret. 2. Reg. 12. vers. 28. & Ioseph. lib. 7. antiquitat. Iud. cap. 7.

18. Quomodo etiam Craterus, ad deditiōnem item spectante Artacanâ Asiam urbe, & omnibus præparatis, Regis expectabat adventum, capte urbistitulo, sicut par erat, cedens: id quod proditum est à Curtio lib. 6. de rebus gestis Alex. cap. 6. in fin.

19. Moderationem hanc noster autor tribuit quoque priscis Germanis, apud quos fortia facta gloria principis assignare, præcipuum sacramentum esse scribit in lib. de morib. eorum, cap. 14.

20. Itēmque Germanico, Tiberij nepoti, & per adoptionem filio, lib. 2. annal. cap. 22. quireportatâ auspicij Tiberij insigni de Germanis viatoriâ, congeriem armorum (five trophæum) struxit, superbo cum titulo, DE BELLATIS INTER RHENUM ALBIMQUE NATIONIBUS EXERCITUM TIBERII CÆSARIS MONUMENTA MARTI ET IOVI ET AUGUSTO SACRAVISSE. De se nihil addidit, ratu, conscientiam facti satis esse: veletiam invidiæ metu: probè scilicet gnarus ejus, quod Pandates, gazæ Regis Attaxerxis custos, Datamen ejusdem Regisducem per literas monet apud Cornelium Nepotem in Datame: eam esse consuetudinem regum, ut casus adversos hominibus tribuant, secundos fortunæ sua. Et quod Dio Cas- sius

# DIS 1 V T.

ius lib. 49. sub initium, ab Agrippa, Augusti genero, dictum refert: esse hunc morem principibus, ut nolint quemquam ipsis præstantiorem haberi, nec titulum rei alicujus feliciter gesta alijs ascribi. Troinde eum qui velut incolumi apud principes dignitate florere, hoc duo curare debere: unum, ut difficultatem rerum ipse amoliatur: alterum, ut gloriam imposita summa manu illis relinquat.

21. Ab hoc prudentissimo præcepto qui abeunt, iij ne mirentur aut indignentur, si, quantumvis magnis rebus gestis, sint ad extremum vel in exigua suorum dominorum gratia, vel etiam offensia, nec opera laudabilius navata pretium ab ipsis ferant.

22. Accidit id profecto ipsis illi, de quo initio dixeramus, Clyto, cui necis causam nihil aliud attulit, quam quod superbè sapè jaclasset, Alexandrovitam à se et ipso datum, suo pectori tergum illius esse defensum. Plutarch. in Alex. & Curtius lib. 8. cap. 1.

23. Quiudem lib. 6. cap. 8. Philotam, scribit, *Alexandri auribus nimia jactatione virtutis aq[ue] opera gravem fuisse*; & ob ea non quidem sceleris, sed contumacia tamen suspicuum.

24. Philotam, representavit Antonius Primus, Vespasiani dux, qui linguae intemperantiā vocabat offensas, nimis commemoratas que meruerit. Tacit lib. 4. hist. cap. 80.

25. Hujus superbiorem quam pro ministro, & beneficiorum exprobratricem ad Vespasianum epistolam habet idem lib. 3. hist. cap. 53.

26. Et lib. 4. annal. c. 18. his aggregat C. Silius, eadem causa Tiberij odium provocantem, & imminentem damnationem voluntario fine amolitum. Sic enim de eo scribit: *Credebant pleriq[ue], autem offenditionem ipsius intemperantiā, immodecē factantis, suum militem in obsequio duravisse, cum alij ad seditiones prolaberentur: nego mansurum Tiberio imperium, si ipsis quoq[ue] legionibus cupido novandi fuisset. Estq[ue] omnino ex prudentia fonte haustum quod sequitur. Destrui per hac fortunam suam Caesar, imparēq[ue] tanto merito rebatur. Nam beneficia eō usq[ue] latasunt, dum videntur ex solvi posse: ut i multum antevenere, pro gratia odium redditur.*

27. Sanē folium Sibyllæ minus verum est præ hac sententiā, quam libet & Seneca verbis expressam audire ex epist. 19. *Quidam quo plus debent, magis oderunt. Livi es alienum, debitorem facit: grave, nū micum.*

28. Quod faciunt illa Philippi Cominæ, prudentissimi, & comparandi cum quovis antiquorum historici, lib. 5. commentar post princip. Memini quo tempore in hac sententiam Rex (Ludovicus XI.) necum loquerebatur, affirmans fieri aliquando, ut egregie opera minus liberaliter remunerentur, idq[ue] non tam in gratitudine principum, quam eorum, qui præstiterunt operam, vitio:

# TE & Tot.

vitio: dum elati quadam confidentia, propter rem bene administratam, insolenter & proterve se gererent. Addebat præterea, feliciter agi, sūa quidem sententia, cum eo, cui nullo suo magno merito Princeps benefacit: & ut quis beneficio sit obstrictus Principi, id multò præstare, quam ut Princeps clienti aut famulo alicui suo multum debeat. Se quoq[ue] hoc ingenio esse, ut, qui sibi ob aliquam beneficium deberent, eos plus diligenter, quam alios, quibus, debere se aliquid, ipse putaret. Hæc ille.

29. Adeo nimis rara in principe rara, ac propè insolitum est, ut se putet obligatum: aut, si putet, amet. Plinius in panegyr. c. 60.

30. In summa, quisquis bonus & prudens Principum est administrator, ad exemplum Sejani Älij conformatus esto, qui fuit singularis principialium onerum (Tiberij) adjutor, vir severitatis letissima, hilaritatis prisa, actu otiosis simillimus, NIHIL SIBI VINDICANS, eōq[ue] asequens omnia, semper infra aliorum astimaciones se metiens, vultu vitāq[ue] tranquillus, animo exsommus: qualem eum describit Vellejus Paterculus hist. lib. 2 c. 127.

*Cap. 7. Successor simul & ultor electus, rarissimā moderatione maluit videri invenisse bonos, quam fecisse. Et cap. 19 Omnia scire, non omnia exequi. Et cap. 42. Domitianus paratus simulatione.*

## QUÆSTIO VI.

Recte ne dicatur quod dicitur, nescit regnare, qui nescit dissimulare?

1. *Quales in Repub. Principes sunt, tales reliquos solere esse cives, recte Cicero lib. 1. fam. ep. 9. ex Platone docet.*

2. *Est enim hæc conditio principum, ut, quicquid faciunt, præcipere videantur. Quintilian. declam. 4. Vita principis, censur. est, eāq[ue] perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur: nec tam imperio vivimus, quam exemplo. Plin. Panegyr. c. 45.*

3. *Cum ergo (Vellejij Paterculi lib. 2. c. 126. verba, mea facio) recte facere Princeps cives suos, faciendo doceat, debet ille sibi virtutem, et si per se gratis amplectendam, tamen hoc quoq[ue] nomine commendatam habere, ut illos, quibus imperitat, exemplo factos meliores, obsequientiores habeat, itaq[ue] Rempub. firmet atq[ue] stabilitat.*

4. *Nam profecto pessimus quisq[ue] afferrimè rectorem patitur. Sallust.*

D orat.

D 95 L V T.

orat. i. ad Ces. ab initio. Contrà vero — *Facile est imperium in bonos*.  
Palæstrio apud Plautum in Mil. Glor. act. 3. scen. I.

5. Porrò ex virtutibus ea, quæ Aristoteli lib. 4. Ethic. c. 7. nomine  
caret. & si quid novare licet, non male ~~quæ~~ <sup>de</sup> dicitur dici queat, Latinis  
*Candor*, *Ingenuitas*, *Veritas*, adeò est Principum laudatorum propria, ut  
eorum veluti *spiritus* existimetur.

6. Quod cùm ita sit, illud sive Friderici I. Aenobarbi, sive Sigif-  
mundi Imp. (nam utriq; tribuitur) apophthegma: *Nescit regnare, qui ne-  
scit dissimulare*, minus probandum, utpote Veritati adversum, videri po-  
test: at certè non debet.

7. Quamvis enim illa simulandi dissimulandiq; necessaria Princi-  
piscientia, ratione subjecti, à vero declinat: finem tamen si spectes, in  
laude, tantum abest ut in vizio, ponitur.

8. Ecquis autem ille finis? Plancus indicat in famili. Ciceron. lib.  
10. epist. 8. *Ut ad effectum consiliorum suorum* (quæ publicum ad bonum  
omnia directa) *veniat, multa simulet oportet invitus, & dissimulet cum dolore*.

9. Sanè si preso nimium pede veritati adhærescendo, semper ani-  
mum, Enniano verbo, *in fronte promptum gereret*, nec interdum *Afrani* Si-  
mulantem ageret, peccaret in leges prudentiae, quæ sol & sal imperiorum  
est, quæq; jubet, nec omnem veritatem, nec omnibus, nec quovis tem-  
pore, quando nempe non opus est, gestu vel sermone profiteri: verùm  
Thucydideo præcepto, *ερπ̄ δελέντι*, tempori servire, & occasionem cu-  
jusq; rei perficiendæ captare.

10. Est quidem laudanda vox Imp. Friderici III. qua, teste Aenea  
Sylvio lib. 3. comm. in Panorm. Consiliarios suos in palati vestibulo res-  
duas, simulationem ac dissimulationem, deponere optavit. Sic enim &  
ipso recte consulturos, & sibi inter consilia dijudicare facilimum fore.

11. Sed nempe Consiliarios. Princeps ipse quā potest?

12. Is enim ipsa hac arte, quam in Consiliarijs improbat, eorum  
liberas voces elicere potest: ideoque aut subito & quasi aliud agens, sen-  
tentiam ab hoc aut illo seorsim exquitit, quod Sfortiam cognomento  
Magnum callide & frequenter fecisse, testatur Jovius in ejus vitâ, cap.  
79. aut non per se, sed per interpositam personam jubet explorari: aut  
præsentiam absentiamve suam in suspenso relinquit. Quomodo Tur-  
carum Principibus usitatum scribit Lipsius in notis ad lib. 3. polit. ut in  
proximo Senatus habendi loco possint occulte, cùm velint, confundere,  
illinc per cancellos, sed velo opposito, omnium sententias audire: quod  
& libertas detur sententijs, cùm non coram ille immineat: & intentio  
addatur

T E R T I A .

addatur, cùm auscultare & adesse eū suspicentur, etiam quando nō adest.

13. In subditos autem reliquos vel in primis artes hæc valent.

14. Et causam unā Imp. Henricus V. indicat apud Bonfin. decad. 2.  
lib. 6. Is enim Colomannum Hungariæ Regem Almo fratri conciliatu-  
rus, multa, inquit, pati, dissimulare quoq; multa his opus est, qui ceteris præsunt,  
ne inferioribus videantur injurijs, neve seve tyramidis noscūtillentur.

15. Quod si namque de sententia Taciti lib. 15. annal. cap. 44.  
quamquam adversus fontes, & novissima exempla meritos, miserationem oritur,  
tamquam non utilitate publicâ, sed in sevitiam unius absumentur: quanto  
magis id fiet, si quis (quod Q. fratrem vetat facere Cicero ep. 1.) stru-  
tur omnes fordes, & excutit unumquodq; minutiorum etiam delictorum, in-  
que eajustitiæ illam securim promptè nimium distingit?

16. Altera causa, quia & plus & facilius prudenti dissimulatio-  
ne, quam intempestivâ severitate corrigitur: imò quibus hæc delictis  
impar est, illa par depræhenditur.

17. Agricola certè (quæ verba quæstiōni præscripsimus) hac ipsa  
moderatione, qua maluit videri invenisse bonos, quam fecisse, legionem seditionis,  
quæ legatis quoque Consularibus nimia erat ac formidolosa, ipse  
facile in officio retinuit.

18. Parem incomparabili Principi Trajano moderationem Plinius  
ascribit in paneg. cap. 45. ubi *Tibi beneficij*, inquit, *potius quam remedij* in-  
genianostra experiri placet. Et alioquin nescio an plus moribus conferat princeps,  
qui bonos esse parit, quam qui cogit. Iterumque cap. 46. Omnibus, quos bonos  
facit, hanc astruis laudem, ne coegerit videaris.

19. Atque hactenus dicta ad exercendas pœnas maximè pertinent.  
Sed & alijs in rebus prudenti dissimulationi simulationique locus est.

20. Nam & in bello, cùm fama vulnerati vel & interfecti ducis  
exercitui plurimum pavoris, & hostibus alacritatis indat, testantibus  
cum experientia Tacito 4. histor. cap. 34. & Livio lib. 10. cap. 29. tale  
cædis occultandæ consilium prudenter habetur. Atque adeò stra-  
tegemata, quanta quanta sunt, ex hoc astutiae fonte manant omnia.

21. Item si quæ nobis fraudes ac doli struuntur, præsentissimum  
quandoq; remedium ab hac arte petitur. *Solum sepe insidiarū remedium est,*  
*si non intelligantur*, inquit Agrippina, filij Neronis insidijs petita. Tacit. lib.

14. annal. c. 6. Nec ab re Archelaus, à Tiberio, cui invisus erat, in Ur-  
bem insidiosè vocatus, si dolum intelligere crederetur, vim metuebat. Idem  
2. annal. c. 42. Et Vacula, inter ambiguos milites obsequium simulan-  
tes, sed occultos hostes, versans, optimum è præsentibus ratus est, mutuā dissi-

Dicitur

mulatione, & ijsdem, quibus perebatur, artibus graſari. lib. 4. histor. cap. 56.  
22. Elusaē hac ſolertiā defectionis exempla insignia duo videantur, unum Datamis, apud Frontinum lib. 2. cap. 7. alterum Lucretij apud Livium lib. 42. cap. 48 Quibus patrium addatur Mariæ reginæ matrisque, quæ cūm Carolum Parvum ſub charitatis auxiliique prætextu Unghriam occupatum venire cognoscerent, quamquam intelligenter ſibi verbadari, tamen quum hostis adventum vi repellere non poſſent, parib[us] unc arte eludere pergunt: dolis certandū eſſe cōſent, quandoſe quoq[ue] dolis perſentiantur: ſe ad excipiendum illum ut fr̄trem non hostem accingunt. &c: Bonfin. decad. 3. lib. 1.

23. His igitur aliisque de causis ſapientiſſimos quoſque principes eosdem & ſimulantiſſimos fuilſe, frontem aperiuſſi, mentem teuiſſe legimus.

24. Qualium exempla non modò noster autor habet, ut Tiberij, qui nullam aequè, ut rebat, ex virtutibus ſuis, quam Diſimulationem diligebat. lib. 4. annal. cap. 41. quæ non priuſ ipſum, quam corpus, quam vires, defuerit. lib. 6. annal. cap. 80. Verū etiam historia patria ſuppeditat.

25. Sic Antonius Bonfinius, rerum Hungaricarum ſcriptor eximius, in operis ſui veſtibulo Divum Uladiflaum, Hungariæ Bohemiæq[ue]; Regem commendat cūm ab alijs virtutib[us], tum ex eo cumprimis, quod diſimulandi gnarus eſſet.

26. Idem decad. 3. lib. 2. ſcribit, Sigismundum Regem, quamvis acceptæ injuriæ, animo altiū inſederant, nequaquam tam en in vindictam continuò erumpendū censuisse: diſimulatio dolore, clementiam prætuliffe: & poſtquam ſatiſ ſecuritatis injeſerant, ultionis occaſionem captiſſe.

27 Nec silentio prætereundus Mathias Hunniades, Rex æternâ laude digniſſimus, ejusque pater Joannes Corvinus, de quibus decad. 3. lib. 9. haec habet: Mathias quemadmodum in alijs rebus, ita in hac potiſſimum, patringen ūm imitatur: cui mos erat, diſimulare potiū injurias quam ulcisci: inimicum officio conciliare, & nihil viro dignius exiſtimare quam vincere ſe ipſum, & nullam majorem vindictam cencere, quam, cūm poſſis, injurias omnes ex ingenitā probitate remittere. Et aliquantò poſt: Mathias R. ſub initium regni ſtatiſ ad bene regendi disciplinam animum intendit: in agendo cautus ac ſugax: ad ſimulandum diſimulandumq[ue] nihiſ idoneus: callide, quecunq[ue] mens mala ferret, elicere: obliuia confilia intelligere, & corda hominum cautiſſime perſcrutari, diſſiſter alienis artibus falli poſſe videbatur.

28. Omnes hi conformiter præcepto Salomonis, qui in Proverbiis ſuis divinæ humanaeque ſapientiae plenifl̄imiſ cap. 12. vers. 16. Fa-

tus

TER. Tit.

tuuſ ſtatiſ, inquit, indicat ira mſuam: qui autem diſimulat injuriam, callidus eſt. Et rurſum cap. 29. vers. II. Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus: ſapiens diſſert, & reſervat in poſterum.

29. Veruntamen ut juxta Pindaricum illud in Olymp. od. 13. ἐπει- τα δὲ ἐξέσθι μέρον νόηται, καὶ τὸς αἰεὶς: conſentaneus eſt in quaq[ue] re modus, quem in eligere, opportunitas eſt optima: ſic etiam in simulatione diſimulationeq[ue] modus quidam ac certi fines ſunt, quos ultra citrāq[ue] laudabili- ter ea conſiſtere non poſteſt.

30. Eſt enim primò quædam, quæ non tantum in confinio vitio- rum poſita eſt, verū etiam quæ ipsas poſſeſſiones intrat ſceleriſ atque flagitijs: quæ, in quam, non ad cavendum prudenter, ſed perincioſe deci- piendum eſt comparata.

31. Deinde eſt alia, non illa quidem ſceleſta; ſtulta potiū & ri- diſula, ſcilicet eorum, qui non poſſunt aptè, ſcītè, decorè fabulam hanc agere: agunt immodiſcè, & hoc tegmine ita utuntur, ut tranſluceant.

32. De quibus autor noster lib. 1. hist. cap. 45. Quantò magis falſa ſunt, que ſiunt, tantò pluraficiunt. Et lib. 2. annal. c. 77. acutè de Tiberio, latam ſibi Germanici mortem male diſimulante: Periſſe Germanicum, nulli jactantius mōrent, quam qui maximè elatantur.

33. Atqui ſecundū Plauti veriverbum illud in Capt. act. 2. ſcen. I. Doli non Doli ſunt, niſi aſtu colas.

34. Quām cautionem Aristoteles quoque requirit in fine cap. 7. lib. 4. Ethic. inquiens: Qui moderatè utuntur diſimulatione, & circa ea que non planè perſpicua, & ante pedes oculosq[ue] ſunt, xagiertes, gratioli & elegantes apparent.

Cap. 16. Britanni Voadicā generis regij femi- na duce (neq[ue] enim ſexum in imperijs diſcernunt) ſumsere universi bellum. Et cap. 13. Brigantes femi- na duce exurere coloniā, expugnare caſtra potuere.

## Q V A E S T I O VII.

Num ſexus in imperijs diſcernendus, à ſceptris exclu- dendæ feminae ſint?

I. Mariam, Lodovici primi, Regis Hungariæ, filiam, Bonfinius de-  
cad.

D 3

D 82 v T 82

cad. 3. lib. 1. & Petrus Ransanus epit. rerum Hung. in Sigism. tradunt, functo vitâ patre, ob ejus insignia merita, magno studio suffragiorumq; consensu fuisse à Pannoniæ Proceribus ad Regni fastigium evectam, &c, quod memoratu dignum est, non REGINAM, sed REGEM salutatam, sicque in cunctis diplomatis rescriptam. Scilicet quod sexui natura detraxit, fortuna concitatissimo favore repedit.

2. Postea verò quamilla unicum Nicolaum Garam Palatinum, post habitis cæteris, in consilium admitteret, & ejus arbitrio libidinéq; cuncta administraret, contra politicum illud axioma Doctorum illius Doctoris Aristotelis lib. 5. polit. cap. II. Communis custodia principatus est, neminem UNUM magnum facere; tum verò plerorumq; in se odio convertit, eò usq; acerbatis progredientia, ut Carolum II. cognomento Parvum, Ludovici I. ex fratre Andreâ III. nepotem, Regem tunc Neapolitanum, evocarent, quem Imperio Mariae, & Nicolai tyrannidi, commissis Hungarici Regni habenis, opponerent.

3. Neque plebis ipsa ad deponendam Mariam à Proceribus sollicitata, ægrè consensit, ut pote quæ ( Bonfinij verba ponam ) quot mala Hungariam, imbecillitate feminæ sexus invaserint, probè nō fuisse, diceretq; in felices Ungaros, quibus mulier imperaret: pr. p. rerum rerum humanarum esse ordinem, qui viros feminis fecit obnoxios: inversa jam esse naturæ jura, nec superesse aliud, quam ut viri mulierum loci neant, pensa disponant: contrâ illæ pro his arma sumant, & virilia munia p. assim obeant. Proinde inversos naturæ mores non ultra tolerandos, virile revocandum esse imperium, ne effeminati ubiq; gentium Ungari p. dicentur.

4. Atque hoc plebis Ungaricæ minimè plebejum, meo quidem judicio, judicium videmus mortuorū totū & prudentissimis quibusq; comprobatum.

5. Sic enim Tacitus noster cap. 45. Germ. Sitones ( sive Nortmannos ) feminino subjectos imperio, non modo à libertate, sed etiam à servitute degenerasse scribit.

6. Quem suprà laudavimus, Aristoteles, lib. 1. polit. cap. 8. Quicquid masculum, inquit, natura magis factum est ad imperandum, femineo. Quomodo & Menander: γυναικὶ δὲ ἀρχεῖν δίδωσιν φύσις: mulieri natura negat imperium.

7. Ecquid ita verò? Primum auctoritas ijs non est, quippe animo, corpore, voce, visu molibus, amorem potius quam reverentiam provocantibus, timidis magis quam timendis.

8. Deinde quamvis pectus dolis instructum gerunt: tamen, qui oculus

T 82 v T 82

oculus est imperij, prudentiâ destituuntur: & plerumq; muliebre consilium deteriorius est. Tacit lib. 15. annal. c. 54.

9. Tum constantia ijs deest, inest in decretis sensibüsq; Euripus, & si Propertio lib. 2. eleg. imò si experientiæ credimus,

— nulla diu femina pondus habet.

10. Adde quod Clementiæ, quæ & ipsa necessarium est instrumentum imperij, modum servare nesciunt, & obsecundantes affectibus aut inclinant nimii facile miseranturq;, aut saevitiam nimiam exercent,

II. Quod posterius confirmat, atq; etiam plura hujus sexus vitia à felici imperio aliena producit Cæcina apud Tacitum lib. 3. annal. c. 33. Non imbecilliantum, inquit, & impar laboribus hic sexus; sed, si licentia adsit, saevus, ambitiosus, potest atq; avidus.

12. Quibus aliisq; de causis ( quas in ipso, si res feret, congresu videbimus ) deteriorem illum sexum ab imperio multi excludunt, & obsequi gloriâ contentum esse jubent cum Plinio in panegyr. c. 83.

13. Sed nec, qui gynæocratiam probant, sine ratione probant.

14. Nulli ( inquietum cù Senecâ lib. 3. de benefic. c. 18. præclusa virtus est, omnibus patet, omnes admitit, omnes invitat; nec censum, nec sexum eligit.

15. Adducunt ex Taciti libro 6. annal. c. 25. exemplum Agrippinæ, quæ virilibus euri, feminarum vitia exuerat:

16. Consensum aliquot gentium allegant, apud quas capaces sceptri feminæ sunt:

17. Deniq; muliebris imperij boni fælicisq; exempla, non multò quam ex adverlo proferuntur, pauciora in aciem producunt, quibus unum atq; alterum ex historico nostrate Bonfinio, subsidio mittere operæ pretium est.

18. Is decad. 1. lib. 2. Dominicam Imp. Valentis uxorem scribit, obscientibus Constantinopolin Visigothis, labantes, & ferè consternatos civium animos conspicatam, precibus hortationibüsq; confirmâsse, populum multâ erogatâ pecuniâ sibi conciliâsse: urbem deniq; prudentiâ virtutēq; conservâsse.

19. Et ejusdem decadis libro 7. commemorat, Athalaricum, Gothicum Italiae Regem, cum Amalasuenta matre, maternis ob ætatem auspicij sese gerentem, octo annis quietè regnâsse.

20. Idem decad. 3. lib. 4. habet, quod Joanna, Ladislai Regis soror, postquam secundum fratris obitum liberis orbati, hereditario jure regnum Neapolitanum accepit, unum & viginti regnaverit annos, inq; femineo sexu virilem illis temporibus animum prætulerit.

21. Atq;

D 85 P 2 T.  
21. Atq; his telis pro imbelli sexu , non , uti putamus , imbellibus ,  
nos quidem expugnati , non excludendas putamus ab imperio fæminas ;  
nisi forte lex aut mos patrius aliter jubeat .

22. Nam regnileges , quas vocant , fundamentales ( qualis Gallo-  
rum salica est , vetans , regnum à lanceâ transire ad colum ) convelli sine  
præsenti convellentium , ipsiusq; adeo Reipub. exitio non potest .

23. Quod si verò gubernatio à Deo , populo , lege , moribus , spe-  
ciali regnorum conditione necessitatéq; sic flagitante deferatur fæmi-  
nas , ob sexum excludendæ non sunt : multò verò minus , si jam admisæ  
fuerint , regio solio deturbandæ .

24. Sanè , ut questionis hujus explicatio , in eodem , quo cœpit ,  
exempli desinat , quām inauspicato Mariam regno privârint Hungarici  
Proceres , & omnia infausta significârunt , & eventus docuit , ipsi deniq;  
cum populo agnovisse visi sunt , dum conscientiâ rei malè gestæ correpti ,  
in coronatione Caroli novi regis , & pauci & remissè acclamârunt : &  
postea etiam , cùm immisso percußore obtruncatus Carolus esset , iterum  
Mariam regm exclamârunt , Maria regi fæliciter ingeminârunt , ut scribit  
Bonfinius lib. i. decad. 3.

25. Debuissent potiùs , si quid nobis judicare licet , illam Michaëlis  
Orsagh Palatini Hungariae vocem attendere , quam commemorat idem  
historicus noster sub initium lib. 3. decad. 4. Quemcunq; sacrâ coronâ coro-  
natum vidiri , etiam si bos fuerit , ( nedum fæmina ) adorato , & pro sacro sancto  
Rege ducito & observato .

Cap. 18. *Quia in æquum degredi ordines non  
audebant , ipse (Agricola) ante agmen , quò ceteris  
par animus simili periculo esset , erexit acie . Et cap. 35.  
Agricola ante vexilla constituit .*

Q U A E S T I O VIII.  
An ipsum bellum ducem expedita interesse prælijs ?

1. Quæ cura consiliarios Imp. Othonis exercuit in bello contra  
eius æmulum ac hostem Vitellium , interesse pugna imperatorem , an seponi  
melius foret , ut est in Tacit. 2. histor. c. 33 ea haud dubiè nata fuit ex illis  
rationibus , quæ etiamnum suspensas dubiásq; politicorum de hac quæ-  
stione sententias reddunt .

2. Et quidem pro negante parte militat primùm illa ratio , quā in  
allegato

T 82 Tit.  
allegato Taciti loco expressâ persualus Otho fuit , ut Brixellum conce-  
dens abesset pugnâ ; quia scilicet princeps periculis non est obiectandus , sed du-  
bijs præliorum eximendus , summaq; rerum & imperij reservandus : èd quòd , ut  
est apud Hegeſippum lib. 5. c. 30. in milite , unius sors est : in Imperatore , uni-  
versorum periculum .

3. Quo ipso argumento , Ludovico II. Hung. & Bohemiæ Regi ,  
imminente Turcarum exercitu , suassum à multis est , ( verba Sambuci re-  
citabo ex appendice ad Bonfinum ) ut Budæ vel Posonij : exitum rcrum potius  
quām præsens expectaret : quippe minus ingominia ac periculi fore , reliquæ omni-  
bus interfectis , modo Rex salvus superfit .

4. At ille Pauli Thomoræ Collocensis Archiepiscopi insanis con-  
filii usus , Solimanno ipsum sese objiciens , prope Budam ad Mohacz op-  
pidum prostratis undiq; copijs , fugam capessens , in proximâ palude ,  
reflectente se equo , lutulento in gurgite miserè suffocatus interiit , itaq;  
regnum suum in extremum discrimen ac perniciem adduxit , teste præter  
Sambucum Jovio . lib. 23. hist. noctis scilicet eventum non obscuriori omni-  
nis , quo & clades hæc , & regni brevitas portendit putabatur .

5. Tria enim peculia in eo sunt annotata , cuncta nimis præco-  
cia : quòd ante statum tempus partis fuit in lucem editus , ideóq; epider-  
mide seu extrema cuticula caruit , quæ linimentis fuit de novo produ-  
cenda : quod citò adolevit , barbâ præter åtatem adeptâ : quòd vix an-  
num 18. ingressus , canos ostenderit . Dubravius de reb. Polon. lib. 30.

6. Eadem de causâ viri Davidis noluerunt permittere , ut ipse egre-  
deretur ad prælium : melius esse rati , ut ipsis ex urbe esset præsidio , èd  
quòd is solus pro 10. millibus computaretur : ipsòq; extincto , lucerna  
Iraelis extincta foret , ut est in lib. 2. Samuel. c. 18. vers. 3. & c. 21. v. 17.

7. Quòd referenda sunt alia præstantium Imp. exempla , qui , quod  
faciendum Plutarchus monet in Pelopida , noluerunt Imperij dignitatem  
temerè prostituere : ideóq; bella per legatos & vicarios administrârunt .

8. Sic tumultuante in provincijs milite , multisq; Tiberium hor-  
tantibus , ipse occurseret , & majestate imperatoriam opponeret , ei fixum  
fuit , non omittere caput rerum ( Romam ) ne , seremq; publicam in casum dare .  
Tacit. lib. 1. annal. c. 47.

9. Sic Imp. Antoninus scriptore Eumenio Rhetore in panegyr.  
quem Constantio Cæs. dixit , c. 14. in Urbis palatio residens , bellorum auspicia  
mandavit , ac velut longæ navis gubernaculis præsidens , totius velificationis &  
cursus gloriā meruit .

10. Sic Imp. Justinianus Belisarij & Narsoris virtute Gothos Italiā  
Vandalos Africā expulit .

E

*D E S P V* 5  
11. Sic scriptore Frossardo lib. 2. Carolus IV. Rex Galliarum, bellum cum Edoardo III. Angliae Rege per fratres gessit: & tamen Edoardus dixisse fertur, *cum nullo unquam hoste sibi rem fuisse, qui minus amaretur, & interim plus negotij sibi faceret.*

12. Amurates etiam Turcarum Imp. est ausus gloriari, se sedentem Constantinopoli, plures res gessisse, quam ullum ex majoribus suis in ipsa acie.

13. *Quippe majestati major è longinquo reverentia.* Tacit. 1. annal. cap. 47.

14. Atque hæc in unâ parte sunt: in alterâ verò non pauciora, & fortè firmiora. Nam qui eum principem, in quo summa Reip. potestas sit, prælio interesse volunt, præterquam quod turpe inquiunt esse, principem à militibus, nisi ex picturâ, non cognosci, illud Plauti urgent ex Amphitr. aet. 1. scen. 3.

*— ubi summus imperator non adeſt ad exercitum,  
Citiūs, quod non facto eſt uſus, ſit, quam quod facto eſt opus.*

15. Addunt, quod præsentia suâ robur & vires inspiret militi. Virget enim, ut inquit Maro lib. 9. Aeneid. *præsentia Turni.*

16. Quod et si per se liquidum, uno tamen & altero exemplo patro comprobare libet. Attilam gentis Hunnorum, in flagellum generis humani emigrare à Deo iussæ, ducem, Bonfinius decad. 1. lib. 6. & Nicolaus Olahus in ejus vitâ scribunt, & militis strenui, & ducis optimi gessisse officium: in primis autem in obsidione Aquileiæ, ipsum sumpto clypeo, adiectis muro scalis, descendere nisum: quod ubi à cæteris spectatum est, tantus in urbem ubique factus est impetus, ut ultrâ defendi nequiverit.

17. Suntq; insignia & adscriptu digna ejusdem ducis verba, quibus utitur in oratione ad milites suos ante pugnam in campo Catalaunico commissam. *Me, inquit, & ducem, & commilitonem vestrum sequamini. ego nonquam ſu[n]t uobis defuturus: vobis ſum una omnia pericula, ſi ſors ita ferat, conſtantī animo ſubiturus: vobis ſum una & vietur, & moriturus. Me igitur proponite vobis ob oculos &c: Et vos mea facta imitemini: ( agnosco Valerij Consulis verba apud Livium lib. 7. cap. 32.) ac dum me ſtrenue rem gerentem videbitis, alaci intrepidos, animo hostem urgete, profligate, proſternite.*

18. Sic de Ladislao Bonfin. decad. 2. lib. 3. & 4. scribit, quod in expeditionibus ipse in primis magno impetu in hostem ferri conſuevit, idq; conspicati milites pari quisq; ferociā certamen fuerint adorti.

19. Etejusdem decadis lib. 10. Ludovicum, excellentissimum Re-

gem

*T E R T I A .*  
gem nostrum, Christianæ fidei propugnatorem acerrimum, solitum scribit, non minus imperatoris quam militis officium in bello præstare, inter conferta ſeſe tela ingerentem.

20. De Mathia I. verò, itidem Rege nostro laudatissimo, illud prætereundum non eſt, quod in pugnâ calcaribus non fuerit uſus, ne in maximo conſictu, concitato equo præ timore, fugeret, ſuag, fugâ reliquorum animos conſternaret. Idem autor decad. 4 lib. 8.

21. In hoc ſententiarum diuertio & quaſi bivio quam inſiſtendum viam eſt? quam enim aliam, niſi Mercuriali distinctionum statuā commoniſtrata, docente ducentēque Tacito nostro lib. 4. histor. cap. 85. ubi Mucianus prudenter: *Si ſtatus imperij, inquit, aut ſalus provinciarum in diſcriben ver: eretur, debuiffe Caſarem (Domitianum) in acie ſtare: minor a verò bellu[m] minoribus ducibus eſſe deleganda.*

22. Id quod ipſum, Alexandrum Magnum, temerè ſe quibuslibet obijcientem periculis, milites ejus monent apud Curtium lib. 9. cap. 6. Obscura bella, inquiunt, & ignobiles pugnas nobis depoſcimus: temet ipſum ad ea ſerva pericula, quæ magnitudinem tuam capiunt. Cito gloria obſoleſcit in ſordidis hostibus: nec quicquam indignius eſt quam conſumi eam, ubi non poſit oſtendī.

23. Sic noster lib. 3. annal. cap. 47. Tiberium facit excusantem ſe, cur non ipſe vel Drufus in Gallos rebellantes profectus, ſcilicet quia non decorum principibus, ſi una alterâ civitas tur̄et, omittere urbem, unde in omnia regimur. Et in minoribus iſtiusmodi bellis, Principi, ut Claudianus ait, vindictam mandasse ſat eſt.

24. Iterum noster, lib. 1. annal. cap. 47. lib. 1. histor. cap. 29. & ali: bi. *Principi auſtoritatē in majoribus remedij integrum eſſe ſervandum docet.*

25. Quod monitum fuit obſervatum ab Imp. Carolo, & re & cognomine Magno. Is, ſcriptore Bonfinio decad. 1. lib. 9. Pannonicam expeditiōnem, ut pote quæ maxiſti foret momenti, per ſe ſuſcepit: ceteras per Pipinum filium variōsq; legatos in Ungariā geſſit.

26. Atque hæc, una diſtinctio, ipſorum ſcilicet bellorum eſt: qualis etiam extat apud Plutarchum in Pelopidâ circa princ.

27. Sed & alteram damus, præſentiae. Non ita ſumnum ducem prælijs ad eſſe expedit, ut vita ſuæ prodigus ad quævis periculosa militum ſeſe munera demittat, ac præliotemerè immisceat: verū ut ſaluti ſuæ, hoc eſt, publicæ, diligentiſſime parcat.

28. Præcipit hoc idem, & præcepti rationem ſubijcit Onosander in strateg. cap. 33. Nam licet, inquit, præſtabilem fortitudinis operam navare poſſit, non tamen tantum ſuis proderit pugnando, quantum obrit occumbendo.

*DIS 2 V T.*

*Illius enim prudentia longè anteponenda fortitudini. Et ut, si gubernator, relicto gubernaculo, nauticis remigum operi se immisceat, navem in periculo esse continet: eodem planè modo si Imperator consilia sua dare negligens, ad militaria munera se transferat, rem universam in maximum adducit discrimen. &c:*

29. Atq; hinc est, quod P. Scipio Africanus cūdām, qui illum parum pugnacem esse dixerat, respondit: Benē quidem dicis. *Mater enim meam imperatorem, non autem bellatorem peperit.* Frontin. lib. 4. c. 7. *Militares autem & imperatores artes non sunt eadem.* Livius lib. 25. c. 19.

30. Hinc item est, quod Imp. Carolus V. expugnatā Guletā, justō jam prælio cum Mauris decertaturum, Alphonsus Vastius, penes quem erat eō die militare imperium, admonens, *Iure inquit, meo jam utor jubeō,* ut hinc abscedas ad medium aciem ubi sunt vexilla: ne fortuito incidentis pilis casu universa communis fortuna salus unius hominis periculo inexpiable subeat discrimen. milantiqua Jovio lib. 34.

31. Quod si magis patrium exemplum delectat, extat tale in nostrarē historico decad. 2. lib. 1. ubi bellum intestinum describitur, quod Stephanus, Geyse, primi, qui quidem Christianus fuerit, Regis nostri filius, contra Cupam & conjuratos principes, stabiliendæ Christianæ in Ungariâ religionis ergo gesserat. Quo in bello ( Bonfinij verba sunt,) Rex p̄fissimus divinā potius oratione, militari bortatione, quam armis certare: per legiones modò discurrere; legatorum & centurionum animos confirmare: turmas cohortesq; bortari, ut pro Christi charitate forissem dimicarent: revocare tergē vertentes, & quandoq; timidos graviter increpare: subsidia amittere laborantibus, & nullum imperatoris optimi officium prætermittere.

32. Multo quidem ille generosius, quam Tartarorum principes, quos in aciem non descendere, sed procul inter pueros ac mulieres prospectare in equis, idem autor prodit decad. 2. lib. 8. ab initio, quo tetram ac vere tartaream Tartarorum nationem ejusq; mores depingit.

33. Atque hic unus modus est cautæ ducis in bello præsentia. Sed & alium Ioannis Corvini exemplo docemur auctore Bonfini lib. 5. decad. 3. Cū enim Turca Transsylvania invadens mandasset suis, ut initia statim pugnâ Corvinum potissimum circumvenirent ac trucidarent, ille de hostis consilio edocitus, cum Simone, ē Kemeniâ nobilitate, edito, equum armaque commutat. Nec Simon pro amico mori recusat, ut fato suo liberatorem Reip. conservaret. Turcæ Simonem Corvina armiferentem circumveniunt, & trucidant unācum filio. Corvinus insigni potitur victoriā.

*Cap.*

*T 8 R Tit.*

*Cap. 27. Britanni non ut virtute, sed occasione & arte ducis superati, nihil ex arrogantiâ remittere, quo minus juventutem armarent, &c.*

*Q V A E S T I O I X.*

*Sitne, ut honesta, sic etiam firma, quæ strategemate paritur, victoria?*

1. Verè sapiens illud est dictum, Sapientiae c. 6. vers. 1. *Melior est sapientia, quam vires: & vir prudens, quam fortis.*

2. Quod generatim enunciatum, ad militiam Silius Italicus accommodat,

*Bellandum est astu: levior laus in duce dextra.*

3. Idq; non eo tantum, quod ut plurimum *incurvata* & *sine luctu* victoria sic acquiritur, uti eam vocat Tacitus lib. 3. Histor. cap. 5. & *cruenta* victoria longè præfert libri ejusdem capite 60. verū etiam quia talia bellifurtia ( Sic Brasidas apud Thucyd. lib. 5. appositè strategemata vocat ) eā maximē nostri parte constant ac perficiuntur, qua homines sumus.

4. Nam corporis quidem servitium nobiscum belluis commune est.

5. Istā nimurum de causā apud Lacedæmonios, si dux cruento Marte vicisset, gallum dijs immolabat: qui verò rem dolo aut suasione confecisset, majorem victimam sacrificabat bovem, ut est apud Plutarch. in Marcell. & in Lacon.

6. Significare quippe voluerunt, longè alijs esse præferendos, & optimorum ducum munere fungi eos, qui non casu, sed arte dimicant: qui non aperto Marte prælium, in quo commune versatur periculum, sed ex occulto semper attentant: ut integrus suis, quantum possunt, superiores evadant, dum hostes terrent, aut minimo sanguinis dispendio fallunt. Veget. lib. 1. c. 9.

7. Hinc adeò cū alijs bellicosis nationibus in usu semper strategemata fuere: tum præcipue Romanis, quibus ea pars militia maximè gnara, ut inquit auctor noster lib. 12. annal. c. 45.

8. Ita tamen ut non admitterent *insidias degeneres* ( ejusdem auctoris vocel. 11. annal. c. 19. ) quales habentur, veneno, aut clam immisso emptōq; percusso in hostem grassari; fædera aut pacta futilissimis commentis, verborūmq; sophismatis, & versuti juris præstigijs eludere.

E 3 9. Siqui-

*Dis 22.*  
9. Siquidem ea demum vera est victoria, quæ salvâ fide, & integrâ dignitate paratur. Florus lib. 1. c. 12.

10. Romanorum æmulos ut in aliâ laude bellicâ, sic in hac parte Hungaros meos, cùm varia convincunt arguta strategemata, quæ in historico nostrate passim occurrunt; tum illud Ladislai Regis, decad. 2. lib. 4. quod quin speciminis causâ ipsis Bonfinij verbis apponam, facere non possum. Cùm Polonia metropolim Cracoviam Rex obsidione trimestri cinxisset, ac magna fames obcessos juxta & obdidentes incesserat; commentum novum invenit ingeniosa necessitas. Intempesta nocte, Regis edicto, quisq; miles ocream galeamne effosâ terrâ completam ante urbis menia conferre jubetur. Quod ubi factum est, congestæ terræ mox tumulus haud mediocris exsurgit, quem farinâ Rex quam primum aspergi iubet. Illucescente die, oppidani editissimum farinæ montem ante muros arcis aspiciunt, hostium commeatibus invident, urbanam commiserantur inopiam. Publicæ mox salutis consilium ineunt, se cibariorum egenos, & ad extremare dactos, longam hostium obsidionem tolerare ultrâ non posse. Quare in sequenti die se cum arce dedunt.

11. Ceterum ut honestus ac licitus est strategematum usus, ita num etiam ad plenam constantemque victoriam satis sit efficax, dubitari queat.

12. Et non esse, ferè est ut persuadeat præscriptum quæstioni Britannorum exemplum, qui quia occasione & strategematum arte, subito scilicet Agricolæ superventu, fuerunt oppressi, bonâ fide non parent, iterumq; insurgunt.

13. Quo pertinet illud autoris 3. histor. cap. 2. Pannonica legiones deceptæ magis, quam viæ, resurgere in ultionem properant.

14. Quâ causâ Achæos à machinationibus istis & struendis dolis abhorruisse, Polybius lib. 13. testatur, quippe censentes, neq; splendidam, neque firmam ullam victoriam, nisi quis palam & ex condito pugnans, animos quoque dejecisset adversariorum.

— nulla est victoria major,

Quam quæ confessos animo quoq; subjugat hostes.

inquit Claudianus in 6. Consul. Honorij.

15. Cuigeminum illud est Livij lib. 42. cap. 47. Eius demum animus in perpetuum vincitur, cui confessio expressa sit, senecte, arte, neq; casu, sed collatis communis viribus, justo ac pio bello esse superatum.

16. Quid ergo? num ideo ab occultis istis & flexuosis opprimentorum hostium consilij abstinentum? Non videtur, sed ita tamen ijs contendum, ut ne solis; verum ut viatos ijs hostes, viribus quoque coercentemus

*T 22. v. t.*  
mus, hoc est, (Lysandri ex Plutarcho præceptū invertō) vulpina pelli, quæ sola non sufficit, leoninam asuamus: vel simul alijs quoque modis, in primis clementiâ moderatōq; imperio, viatos nobis conciliemus.

17. Quod posterius nos docet Plutarchus in lib. de capienda ex inim. util. his verbis: *Ait Finidarus, homines viatos linguam ita ligatam habere, ut mutare non audeant. Non simpliciter hoc, neq; de omnibus verum est: sed de his, qui superatos se vident ab inimicis industria, bonitate, magnanimitate, humanitate, beneficijs. Hæc lingnam avertunt, os obturant, spiritum intercludunt, silentium imponunt.*

Cap. 32. Exercitum (Romanorum) contractum ex diversissimis gentibus, ut secundæ restent, ita adversæ dissolvent. nisi si Gallos, & Germanos, & (pudet dictu) Britannorum plerosq; dominationi alienæ sanguinem commodantes, diutiis tamen hostes quam servos, fide & affectu teneri putatis. Item cap. 35. Peditum auxilia mediam aciem firmabant: equites cornibus affundebantur: legiones pro vallo stabant, ingens victoria decus, citra Romanum sanguinem bellanti, & auxilium, si pellerentur.

#### QUÆSTIO X.

In bello, subditorum an exterorum operâ consultum uti?

1. Vaganti per latos & latostrum historiarum campos offerunt sese per multa exempla Rerum publ. occupatarum & eversarum ab ascito in auxilium peregrino milite, quæ exempla veritatem adstruunt illius proverbij quod apud Aristophanem in Vespis sub finem extat: ἔγναθος οὐ χάραξ τὸν αὐτῶν: Fefellit ridicula vitem

2. Sic Rhæginorum Aristocracia pessumijt, cùm civitas per dissensionem in duas partes divisa Himeranos in auxilium vocaret. Illi enim, pulsis civitate

*Diss 27.8.1*

oicitate contra quos implorati fuerant, etiam illos quibus tulerant auxilium, oppresserunt, teste Justino lib. 4. cap. 3.

3. Quo ipso loco Athenenses sub specie ferendi Catiniensibus auxili tentasse Sicilia imperium, scribitur.

4. Eosdem Rhginos, cum contra Carthaginenses praesidium Romanorum pterent, ab eo fuisse oppressos, tradit Polybius lib. i.

5. Non aliter Gothi imperium occidentis invaserunt, & Orientis depradarunt, cum ab Imp. pro auxiliis foverentur, & in Thraciam ad rebellis finitos vincendos secedere juberentur. Zonar. in Arcad. & Honor.

6. Ita Saxones advocati à Britannis contra vicinos Pictos & Scotos, eos regno exuerunt. Diac. in Theod. Iunior.

7. Nelongius abeamus, vel Vngaria nostra, in qua pax salusq; Christiani Orbis hactenus immota stetit, quod siveissimam Asia tyranitem pestatem etiamnum patitur, nil aliud causae est, quam quod Turcae à Græcis in auxilium acciti, imperium Orientis occuparunt, vincinæq; loca paulatim instar carcinomatis corripuerunt, usque dum ad hoc Imperij antemurale sunt progressi, quod infesta barbarorum signa, & in omnibus orbis Christiani partes directa tela, ducentesimum, vel quod excurrit, annum, sui corporis objectu repellit, & cum bono Deo porrò repellet. Bonfin. decad. 3. lib. 2.

8. Atque isthæ caliorum documenta nobis documento sunt, non esse facile militi peregrino salutem Reipub. credendam.

9. Nam profecto auxiliarius & mercenarius iste miles, (quæ autoris in praescripto loco verba sunt,) non fide, non affectu tenetur: sed quod de Vespasiani auxiliis externis ab autore pronuntiatur lib. 3. histor. cap. 7. majore ex diverso mercede jus fasq; exuit. quippe cui propriè convenit id, quod à Lucano lib. 10. in universum de militibus est dictum:

Venalesq; manus, ibi fas, ubi maxima merces.

10. Accedit, quod, ut nullū à talibus invadenda Reip. periculum sit, civibus tamen alias perniciosi sunt, dum non modò, Ciceronis verbo (ex epist. 15. lib. 1. ad Attic.) veræ sunt birudines ararij, verū etiam omnia, tanquam externa, aut urbes hostium, urere, vastare, rapere solent, quod de milite Othoniano habet auctor lib. 2. histor. c. 12. & quod de Arsane Ciliciæ praefecto Curtius tradit lib. 3. c. 4. populatores sunt terra quam à populationibus vindicare debebant.

11. Quare domestici potius legendi, quam aliunde arcessendi milites videntur.

Nec

*682 Tit.*

12. Nec obstat Romanorum exemplum, apud quos ejusmodi auxiliorum è varijs gentibus magna semper copia. quod & Notitia Imperij indicat, & Taciti hæc verba lib. 3. annal. c. 40. Nil validum in exercitibus, nisi quod exterrum. iterumq; lib. 4. histor. c. 17. provinciarum sanguine provinciarvinci.

13. Nam præterquam quod isti non omnino exteri, verū imperio Romano subjecti fuerunt, etiam hanc Romani cautionem observarunt (quam & nobis observandam putamus, si omnino exteri, viribus proprijs non sufficientibus, in commilitum ascendi sunt) ut auxilia ista non essent nisi auxilia, ut inquam, membrum facerent, non corpus: vires & robur penes legiones esset. Vegetius de re milit. lib. 3. c. 1.

14. Magna stultitia est, inquit Polybius lib. 2. praesidium, praesertim barbarorum hominum, assumere, quod aut viribus, aut multitudine magis quam cives polleat.

15. Exemplum insigne extat apud Livium lib. 25. c. 33. de Romanorum exiguo exercitu à majoribus Celtiberorum auxiliis perfidè deserito, ubi hæc subjicit Livius: Id quidem c. avendum semper Romanis ducibus erit, exemplaq; hac verè pro documentis habenda, ne ita exterris credant auxiliis, ut non plus sui roboris suarūq; propriè virium in casis habeant.

16. Ita quod Bela Rex Ungariae contra Othocarum Boëmiae Regem infæliciter pugnavit, Bonfinius decadis 2. lib. 8. hanc potissimum causam adducit, quia plus auxiliorum quam Ungarorum in prælio dimicabat, & viribus alienis raro victoria comparatur.

17. Ceterum cum, afferente Pittaco, summa victoris sit laus, rās, vixes, ævū dīquatos tuendū, sine clade vincere, hoc tamen fieri si nequeat, id saltem præstandum bono duci fuerit, ut nobilem illam Cæsaris vocem observet, parē civib; utq; quantum fieri potest, circa domesticum sanguinem agnoscamus auctoris verba bellans, mercenarios præcipue diicrimini exponat.

18. Si apud Tacitum 2. annal. c. 16. auxiliares Galli Germaniq; posui Mardorum hostilem audaciam externo sanguine ultus est. Et, quem modò laudiavimus, Bonfinius rer. Ung. decad. 4. lib. 9. partam quandam ab Ungaris victoriam commemorat, sed calamitatem, quia nullus alius quam Ungarorum sanguis effusus.

F

Cap. 9.

D. 25. L. 25.

Cap. 9. Credunt pleriq; militaribus ingenij  
subtilitatem deesse, quia castrensis jurisdictio securior,  
ac plura manu agens, calliditatem fori non  
exerceat. Agricola naturali prudentia, quamvis  
intertogatos, facile justeq; agebat.

QVÆSTIO XI.

Præclari militiae duces ad pacatam quoque Rempub.  
administrandam an sint idonei?

1. Uti callidos solertesq; , juris atq; eloquentia consultos, urbi ac foro  
presides habendos, prætorisq; ad reddenda iura creandos: ita viciissim, viros na-  
tus militiae, factis magnos, ad verborum linguaq; certaminarudes, esse ad forum  
& togam minus aptos, apud Livium lib. 10. c. 22. L. Volumnius Cos. &  
cum eo multi statuunt.

2. Veruntamen ut eorum rationes, qui motum negabant, non  
rationibus alijs oppugnandas, sed solâ eludendas experientia Diogenes  
Cynicus duxit, dum & ipse surgens inambulavit, & si motus non sit,  
quid illi nautarum quotidiani clamores, ad Rhodum, ad Cnidum, ad Cnosum, sibi  
velint, interrogavit: ita sententiam illam non tam rationibus contrarijs  
evertere, quam exemplis excellentium ducum, non minus facilè justeq;  
inter togatos quam sagatos versatorum, evertere sat fuerit.

3. Et ut è multis adducam pauca, Homerus, non Poëtarum ille so-  
lum eximus, sed & sapientum, Agamemnonem suum lib. 3. Iliad. or-  
nat hoc elogio, quòd fuerit

Αριστοφόρον, βασιλέα τ' αἰγαδὸν, χρατερὸν τ' αἰχμητὸν;

Vtrumq; , & rector bonus, & bonus induperator.

Quem versum in delicijs habuisse, & si quando in convivijs Homericorum  
versuum institueretur comparatio, cunctis alijs prætulisse Magnū  
illum Alexandrum, testatur Plutarch. in orat. 1. de fort. Alex.

4. Sic Aristidem, Periclem, Themistoclem, Alcibiadem, Phocio-  
nem, Leosthenem, Demetrium Phalereum, & alios innumerabiles ex  
omnibus Græciae civitatibus, bellicam & urbanam disciplinam coluisse,  
& in utr. q; excelluisse, tradidit Plutarchus in Phocione.

5. Hæc Græci. Sed & apud Romanos, eundem boni senatoris &  
imperatoris boni laude cumulari, non fuit infrequens, ut de Catone ma-

jore

TIBERIUS.

jore fertur, qui duplici isti tertiam doctrinæ laudem, de agriculturâ li-  
bris accuratè scriptis, adjunxit. Sic Cæsar, judicio Ciceronis, Orator fuit  
eloquentissimus; sed artis etiam imperatoriaæ peritissimus.

6. Ejus æmulus Pompejus quantum consilio, quantum dicendi  
gravitate & copiâ, quantum senatoris artibus alijs præstiterit, notum  
est. At is ipse, Ciceronis in orat. Manil. præconio, tantus imperator fuit,  
ut sepius cum hoste conflixerit, quæcumque cum inimico concertavit: plura  
bellageferit, quæcumceteri legerunt: plures provincias consecerit, quæcum alijs con-  
cupiverunt.

7. Adderem his exemplum Tiberij, tanti in bello ducis, quanti in pace  
principis: nisi Vellejus Paterculus, qui cap. 11. hanc ei laudem tribuit, jam  
dudum reus factus esset fædissimæ adulatioñis, & negliget, quæ historiæ  
pes & caput est, veritatis.

8. Ex nostris autem hominibus unus instar omnium esto Ludovi-  
cus I. Hungariae Poloniae; Rex, qui, teste & laudatore Martino Crome-  
ro de reb. Polon. in finib. 13. moribus ita temperatus fuit, ut foris bella acri-  
ter & excuso animo gereret, domi placabilitate & justitiâ pacem coleret: utrobiq;  
prudentia & animi moderatione singulari esset.

9. Quid verò tandem illi dicunt, qui pacatae Reip. administratio-  
ne, sine discrimine, bonos duces, & ob idipsum quòd boni duces, ar-  
cent? Ingenij militaribus subtilitatem deesse. Ecce? quia castrensis jurisdictio  
securior, ac plura manu agens, calliditatem fori non  
exerceat.

10. Atqui evidentur hi primum in eo longius progredi, dum ob ne-  
gatam Fori calliditatem, omnem omnino subtilitatem ingenij; so-  
lertiam negatam putant.

11. Nam & strategemata contrarium loquuntur: & plura consilijs,  
quæcum telis ac manibus in bello geri, cum experientia Tacitus confirmat lib.  
13. annal. cap. 6. & Imp. Iustinianus (qui quantus ipse quoque tam bello  
quæcum pace Princeps fuerit, cum historijs præfatio ejus ad cupidam le-  
gum juventutem Institutionibus præmissa clamat) longè honorificen-  
tius de militaribus ingenij sentit.

12. Sic enim in l. 17. C. de Judicijs rescrispsit. Cerri juris est, quod con-  
cessasit etiam militaribus hominibus judicandi facultas. Quid enim obstacul. est,  
homines, qui alicujus rei peritiam habent, de eâ re judicare? cùm sciamus, &  
militares magistratus, & omnes tales homines, per usum quotidianum jam esse ap-  
probatos, ut & audiant lites, easq; dirimant, & prosuvi & legis scientiâ, hujus mo-  
di altercationibus finem imponant.

13. Cautè, opinor, dixit, de hujusmodi altercationibus: & de eâ re judicare

F 2

c. jus

D 28. 278  
erit peritiam habent. Quod cum illo Aristotelis consentire videtur ex lib. i. Ethic. c. 3. ἔρασος χρήσει ταχός ἡ γνῶση, καὶ τέτον ἐστὶν ἀριθμὸς ψηφίων, καὶ ἔρασος ἀριθμὸς παντούμενος, αὐτὸς δὲ ὁ τοῦ πάντα παντούμενος: de his, qua habes perspecta & cognita, bene quinque judicat. De singulis ergo rebus recte judicabit is, qui singulis in rebus est eruditus: absolute vero & universè de omnibus, homo in omni scientia & genere versatus.

14. Vnde etiam quæstionis nostræ definitio dependere videtur: posse videlicet militiae quoque duces ad pacatam Rempub. idoneos esse, si non belli tantum, sed & pacis studia coluerint, & non militarem tantum, sed & civilem prudentiam, sive ab ipsâ naturâ, ut Agricola, sive à doctrinâ sint consecuti: nec ex adiutoriis habendum esse numero, præclarum ducem in Repub. quoque præclarè versari.

15. Quamvis interim haud inviti largiamur, non ita facile, quæ rerum humanarum conditio est, in utroque vitæ genere, & togato, & sagato, simul excellere quem posse.

16. Nam ut idem Imp. loquitur, omnium habere peritiam, & penitus in nullo peccare, divinitatis potius quam mortalitatis est.

17. Ceterum si per calliditatem illam fori non intelligatur ipsa Jurisprudentiavera & germana, quæ ad salutem humani nata generis, in tribuendo cuique suum occupatur, sed adulterina illa spuriæque, quam autor noster lib. ii. annal. c. 6. FORI TABEM, alij tabulariam artem togatorum, Apuleij verbo, vulturum, & caninam facundiam vocant, ab optimis quibusque JC. tu damnatam, in singulis literis atque interputationibus verborum (ut pro Muræna Cicero loquitur) occupatam, jura quærentem quibus juri adversari queat, tum tantum abest, ut milites aut duces propter eam ignoratam à munere civilium administratione sint arcendi, ut vel propter eandem causam idonei maximè judicandi.

18. Sine casu iudicis (inquit Columella lib. i.) satis felices olim fuere, futuraeque sunt urbes.

19. Id quod exempli patrio, ipsis Lud. Vivis ascripto verbis quin illum, facere non possum. Sic autem ille, de causis corruptar. art. lib. 7. in fine: In Pannonia vivebant olim sine juris interpretibus, non tamen sine jure. Nam simpliciter & bonâ fide, ex antiquis moribus & paucis quibusdam legibus, Pannonijs illis, non Romanis, res judicabant; imò dissensiones suorum civium facilè componebant: & quemadmodum de Servio Sulpicio dicit Cicero, tollere controversias malebant, quam constituere. In comitatu Beauricis, Ferdinandi Regis Neapolitani filie, quæ illinc fuit missa nuptum Mathis Corvino Regi, venerunt Iureconsulti aliquot, qui barbarum (ut ipsi dicebant) morem, magno vultu & superci-

superciliorum fastidio aspernati, auctoritate suâ facile persecerunt, ut homines rudes ac simplices illorum se sapientia concrederent. Cœperunt illi formulas praescribere, quibus esset petendum, quibus respondendum atque excipendum: dies legitimos notare: iudici quoque aliquid assignare quod diceret, ne muta esset persona. Breve tempore, ubi nulla prius erant lites, omnia vidisses fervere litibus, controversijs, petitionibus, repetitionibus, exceptionibus, comprehensionationibus, procastinationibus. Erat prorsus fabula, nisi quoddam damnissimam, cetera festiva cum primis, & ad movendum risum apta, hominibus utique otiosis, & quibus nihil esset controversiae. Quod malum tantum, & tam subitum, quodque latè invassisset plurimos, quem animadvertisserint homines prudentiores, ad Regem res est delata, qui re percognitæ, iure consultos illos continuò regni finibus justit excedere, & omnia in pristinum morem revocari. Sedata est statim tempestas illa, tamquam si venient posuissent. Hæc ille.

20. Et melius tamen adhuc actum cum illis Hungariae causarum patronis ejectis, quam cum Romanis est. Nam Quintilio Varo à Germanis caso, viatores cum alijs crudeliter insultabant, tum precipue causidicis, alijs oculos eruebant, alijs manus amputabant: unius os futum, recisa prius lingua, quam in manu tenens Germanus, tandem, inquit, viperæ, sibilare desise, ut scribit Florus lib. 4. cap. ult.

### Cap. 8. Agricola eruditus utilia honestis miscere.

#### Q U A S T I O XII.

Fides hosti data num servanda?

1. Acutus illius ab Hetruriâ doctoris perniciosum dogma, Principem quidvis & simulare, & disimulare, adeoq; etiam juratam fidem fallere debere, quoties ipsi utile videbitur, non heri nupræ natum, sed multorum jam olim animis insitum fuit.

2. Talem enim pseudopoliticū Plutarchus in Laconicis describit Lysandrum Spartanorum Regem, hominem versutum, & pleraque fraudibus miscentem, qui jus in solâ ponens utilitate, veritatem nihil meliorem esse mendacio ajebat, sed utriusque dignitatem & pretium usu definiri: & ob latum quoddam iusjurandum reprehensus, pueros talis, viros sacramentis decipi debere respondit.

3. Qualis etiam Euphemus illius in Thucyd. lib. 6. sermo est, minime evanescens. Viro tut ubi principi nihil injustum, quod fructuosum.

D 88 P V R 23  
4. Veruntamen longè alia sacræ Principem literæ docent Proverb. 17. vers. 7. Non decet Principem labium mentiens. Quod eleganter à Gunthero in Ligurino lib. 3. vers. 513. hoc carmine redditum est:

Non decet in labijs versari lubrica Regis,  
Non decet ore sacromendacia cudere Regem:  
Sancta & plena suo sunt regia pondere verba:  
Dicta semel nullum patiuntur jure recursum.

5. Talis nimirum princeps esto, qualis Jupiter Homericus, cuius sunt istalib. i. Iliad. vers. 528.

Nil fallax nostro aut revocabile prodit ab ore:  
Nec linquo infectum, quicquid caput annuet istud.

6. Necineptè Baldus hic accommodavit illud Psalmi 61. vers. 12. Semel locutus est DEVS.

7. Quò pertinet etiam illa vox heroica Philippi Landgravij Hassiae, citante Ware. ab Erenberg. de reg. subsid. c. 5. Man soll einen Füsten erkennen bey haltung bescheineter zusage / reiner Straffen / vnd guter Münz.

8. Et altera illa, quam Imp. Carolo V. Zenoccarus in ejus vitâ, & Francisco I. Galliarum Regi Bodinus lib. 5. de Repub. c. 6. tribuit: Etiamsi Fides tō terrarum orbe exsularet: tamen Imperatori (Regi) tenendam esse, qui ea sola, & nullo metu cogi astringiq; possint.

9. Quibus addo tertia, Imp. Sigismundi ex Aen. Sylvio in apoph. Imper. Potius rerum etiam maximarum, quam Fidei & famæ jacturam Principi subeundam. Siquidem, ut ait Livius lib. 3. c. 71. fama ac fidei damna majora sunt, quam qua estimari possint.

10. Damnum unum, ipsatur pitudo est: que si in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa depravatio & faditas animi turpificati debet videri? Cicerolib. 3. Offic.

11. Alterum, quod abrogatâ fide, omnis humana societas tollitur. Livius lib. 6. c. 41. vel. ut Aristoteles loquitur lib. 1. Rhetor. ad Theodect. c. 15. infirmatis violatis pactis, tollitur inter homines commerciorum usus. Sublatâ namq; fide, Justitia, quæ fidei tanquam firmo fundamento innititur, esse nulla potest: raptus, cædes, bella erunt: neq; hæc ullo fædere terminanda, cum nihil sit quodastringat.

12. Tertium quod perjuris prater homines ipse Deus infestus est, calamitatibus ipsos velut à tergo sequentibus.

Et quanquam DEVS haud pœnas in tempore sumit,  
At postsumet: & hi, magno, mihi crede, rependent.

Ipsi,

TERTIA.

Ipsi, atq; uxores, & dulcia pignora, nati.

ut Homerus lib. 4. Iliad. de fæderum violatoribus inquit: cùm illos contrâ, qui venerabile hoc Fidei numen colunt, cœlesti favore prosequente crescere & florere cernamus.

13. Benè Q. Marcius apud Livium lib. 44. cap. 1. farent pietati Fidei, q; dij, per quæ populus Romanus ad tantum fasigij venit.

14. Atque hæc adeò vera sunt, ut ne quidem hosti datam fidem frangendam, & sacræ literæ doceant, Josua 9. 2. Reg. 19. & communis gentium consensus præcipiat, & pectorum cum hoste fæderum religionem nunquam impunè violatam experimenta perpetua demonstrent.

15. Ex quibus unum, idque patrium ad ferre sufficiat, nobilem illam Varnensem Christianorum cladem, quam præter alios fusè diserteq; scriptor Hungaricarum rerum A. Bonfinius exponit decadis 3. libro 6.



ILLVSTRI AC GENEROSO DO-  
MINO, DOMINO FRANCISCO LISTIO, LIBERO  
BARONI in Kettsee, Prellenkichen, Kabold, ac Domino  
in Somlio, &c. Amico singulari, in Politicis  
disputanti.

M Agnus, de claro qui dicit stemmate nomen:  
Maior, quem virtus propria Nobilitat:  
Maximus, illa duo qui jungit: & inclitus ortu  
Existens, etiam per sua gesta nitet.  
Talem te, LISTI, dico: conamina testes  
Hac tua sunto, quibus vela secunda precor.

Gratulabundus apponebat

Stephanus Ursinus Comes  
à Blagay, &c.

Quamvis

II.

**Q** Vamvis non ad sit dexter mihi doctus Apollo,  
Cùm nec to metricis verba soluta modis:  
Accipe paucatamen, qua condere carmina jussit  
Firmus sincera nodus Amicitia.  
Sed quem te, L I S T I, dicam? quem pectore singam?  
An gemma te non assimilare licet?  
Hac etenim velut irutilo cùm obducitur auro,  
Emittit radios luce corusca suos:  
Et tantò pretiosior est, quò pulchrior arte  
Emicat: artificis quòq; labore nitet.  
Sic major fama his, Generoso sanguine nati  
Qui genus exornant artibus ingenuis.  
Hoc tu dum facis, ac animum decorare laboras  
Musis; es patriæ splendida gemma tue.

Amicitia contestanda causa  
deproperabat

Jan- Georg. Czigan L. B.  
de Slupska &c.



III.

**S** Ic est; ingenio major vel stirpis honore  
Clarior ut quisquam: sic magis alta petit.  
Te facio testim, F R A N C I S C E, exordia dudum  
Qui Marte Illustris maxima stirpis habes.  
Nec tamen hisce modum statuis: sed stemmata gentis  
Arte ac ingenio Tu amplificare paras.  
Ergò quo pergis, L I S T I, pede, pergere perge:  
Inde B A R O duplici nomine L I B E R eris.

Amicitia ergò L. M. Q. faciebat

Joannes Ludovicus Wolzogen, in  
Neuhaus, L. B. in Arnstain, Fahr-  
felt & Guettenprunn.